Klassische Philologie

DE PRISCAE LATINITATIS SUPERLATIVI USU QUAESTIONES GRAMMATICAE

Werner Mueller

Klassische Philologie

DE PRISCAE LATINITATIS SUPERLATIVI USU QUAESTIONES GRAMMATICAE

Commentatio philologa

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque in alma litterarum universitate Wilhelmia Westfala Monasteriensi ordinis ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Werner Mueller

Hasso-Nassovus.

Monasterii Westfalorum.

Ex Officina Societatis Typographicae Westfalae

MDCCCCXXIX.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

Carolus Muenscher,
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda commentatione rettulit

Petrus E. Sonnenburg,
professor p. o.

Examen rigorosum habitum est d. 25. m. Jun. a. 1929.

Parentibus.

De priscae Latinitatis superlativi usu quaestiones grammaticae.

Praefatio.

Ad Latinae linguae grammaticam quicumque via ac ratione studia conferunt, eos quoniam non modo quaerere decet, quae diversis temporibus linguae propria sint quibusque loquentes legibus utantur, ut ea accurate cognoscantur, subtiliter discernantur, clare describantur, sed etiam variorum temporum sermonis consuetudines comparare et coniungere, ut, quemadmodum lingua mutata et novata sit, intellegatur, summus proponitur finis, ut Romanenses linguae cum Latina, ex qua natae sunt, conectantur. Quarum origines non in librorum accurata et polita oratione, sed praecipue in variis cottidiani sermonis generibus investigandae sunt. Ac minimum quidem illius sermonis aurea atque argentea Latinitas habent. „Unter der Eisdecke der Literatur, inquit, verschwindet der kräftige Strom lebendiger Sprache und wird uns nur von Zeit zu Zeit durch einige zufällige Lücken flüchtig sichtbar." [1]) Quam ad rem quanti momenti posteriorum temporum Latinitas sit, facile intellegitur. Neque vero minoris eum sermonem aestimare licet, qui in libris atque inscriptionibus priscorum Romanorum nobis occurrit. Nam etsi scriptores eius aetatis nonnumquam elate et ample loquuntur, tamen plerumque eo sermone utuntur, qui natus est iis, ex quo suum quisque orationis genus format. Qua re multae verborum iuncturae et constructiones, quae Plauto et aequalibus propriae sunt, cum posterioribus annis interisse videantur, in linguis Romanensibus reperiuntur.

Quod quam vere dictum sit, hac disputatiuncula, qua de priscae Latinitatis superlativi usu disseremus, aliquatenus demonstratum imus, quamquam in ea re hac aetate magna cautione opus esse nuper recte monuit J. B. Hofmann.[2])

---

[1]) Fr. Skutsch. Die lateinische Sprache, in: Kultur der Gegenwart I. pag. 539. Lpz. 1912^{3}.

[2]) Stolz-Schmalz. Lateinische Grammatik in 5. Aufl. völlig neu bearbeitet von Manu Leumann und Joh. Bapt. Hofmann. München 1928. pag. 33, § 34.

Ac prisca illa Latinitas quo tempore finem ceperit, definire non facile est, immo alius alium annum constituit. Nos autem omnia, quae post annum ante Christum natum centesimum scripta sunt, mittimus, quoniam ab illa aetate litterate scribendi firmus stabilitusque fere est usus.

His praemissis ut ad propositum ipsum accedamus, materiam in tria praecipue capita distribuimus et agemus

I. de rebus phoneticis et orthographicis,
II. de rebus morphologicis et syntacticis,
III. de rebus psychologicis.

De superlativo autem relativo aut elativo quae dicenda putamus, ex paragrapho 11 sq. cognoscuntur.

I.

Quaestiones phoneticae atque orthographicae.

Ac de phoneticis et orthographicis rebus non multa verba facere oportet, quae ad priscae Latinitatis superlativi formas pertinent. Maxima sane varietate, nulla, ut videtur, lege observata promiscue superlativi terminationes —issumus aut —issimus, —umus aut —imus nobis occurrunt. Qua in re nihil fere nisi scribendi libido agitur. Romanis enim ad exprimendam paenultimae superlativi syllabae vocalem, cuius sonum inter u et i fuisse putabant[3]), peculiaris litterae forma quoniam defuit, quomodo Plautus et eius aetatis scriptores illam vocalem enuntiaverint, utra littera usi sint, ex libris cognoscere non possumus. Neque enim solum inter se discrepant codices, sed ne singuli quidem unam ac certam scribendi rationem sequuntur ac modo i, modo u habent. Quod Hauler[4]) quidem et Brock[5])Terentium legem quandam secutum post t et s semper u scripsisse, post l litteram vero vocalem variavisse sentiunt, hoc vix credendum esse putamus. Immo casu et fortuito accidit, ut hanc scribendi rationem inveniant, nisi forte posterioris temporis scriptor librarius

---

[3]) Quintil. instit. 1, 4, 8.

[4]) E. Hauler. Ausgew. Komoedien des P. Terentius Afer. 1. Phormio. Lpz. 1913[4]. pag. 66.

[5]) A. Brock. Quaestiones grammaticae, capita duo. Diss. Dorpat. 1897. pag. 9 sq.

arbitrio aut iudicio ita distinxit. Sed de hac re infra disputabimus. Nec vero neglegenda est illa Ferdinandi Sommer [6]) opinio, qui paenultimam superlativi terminationis vocalem post vocales a, e, i ut i fere sonuisse, post u, o vocales u sonum habuisse censet, cui pronuntiationi scribendi rationem accomodatam esse. Quae quamquam partim libris probatur, tamen quoniam inscriptiones eam repudiant, aliter iudicandum esse putamus. Antiquissimis enim temporibus quin semper u enuntiatum et scriptum sit, dubitari non potest. Cuius rei grammaticos Romanos testes habemus. Velius Longus (Gr. L. VII. 49, 16) scribit: „i vero littera interdum exilis est, interdum pinguis. In quibus adnotandum antiquum sermonem plenioris soni fuisse . . . atque illis placuisse per u talia scribere et enuntiare" et addit: „et, ut ait Cicero, rusticanum", quod rusticanum sermonem usque ad Ciceronis tempus illum antiquum pleniorem sonum servavisse probat. Re vera omnes illius temporis inscriptiones —umus et —issumus habent. Vocalis autem, cum sine ullo accentu pronuntiaretur, debilitata magis magisque u vocalis sonum perdidit et i similis fieri coepit. Et u sonum post o, u diutius quam post a, e, i conservatum esse verisimile est. At haec differentia num scribendi ratione expressa sit, nescimus. Certe eius consuetudinis exempla in inscriptionibus non exstant. Ab eo enim tempore, quo primum i in superlativi terminationis paenultima syllaba scriptum invenimus, i et u litterae promiscue positae sunt, si quidem iam in prima [7]) superlativi forma, quae i habet, sane vocalis acute sonans (i) antecedit, at eadem inscriptio, in qua illud ‚infimo' invenimus, etiam ‚infumum' habet. (CIL I² 584, 6, 10. a. 117 a. Chr. n.)

---

[6]) F. Sommer. Handbuch der latein. Laut- und Formenlehre. Heidelberg 1914³. pag. 105.

[7]) In Columna rostrata [CIL I² 25.], quae C. Duilio post victoriam navalem de Poenis partam (a. 260 a. Chr. n.) posita est, ‚maximos' legimus. Sed utrum inscriptio, cum columna sub primis imperatoribus restauraretur, ex antiquiore desumpta sit [E. Woelfflin. SBer. Akad. München. 1890. pag. 293—321; 1896. pag. 160 sq. F. Münzer R. E. V. 1777 sq.], an a viro aliquo docto antiquitatis sermonem affectante [Ritschl. Mommsen, Lommatzsch. CIL I 2, 25. Norden, Antike Kunstprosa. pag. 255 A 1.] scripta, nondum diiudicatum est. Propter ‚i' litteram Augusti aut primorum imperatorum temporibus hanc inscriptionem ascribimus.

At u diu praevaluit: In inscriptionibus 53ies u, 16ies i invenimus. (CIL I 1, 2. Diehl.) Quae scribendi atque aliqua ex parte etiam enuntiandi ratio omnibus legibus carens mansisse videtur usque ad Caesaris aetatem. Quo tempore illius vocalis et enuntiandae et scribendae consuetudinem vulgo in i inclinavisse grammatici Latini tradunt.[8]) Accedit, quod illa nova littera Ⱶ, quam Tiberius Claudius Caesar Romanae litteraturae addidit, si ea superlativi terminationis paenultimam vocalem re vera expressurus fuit[9]), quod nullo exemplo probatur, illius aetatis Romanis non placuit, neque in libris neque post illius mortem in inscriptionibus legitur. Qua ex re primis imperatorum temporibus, utrum u an i scribendum esset, ambiguitatem non fuisse intellegitur, at Claudium quod veteris linguae studiis maxime indulgebat, in illud consilium incidisse. Indidem, non a sui temporis sermone considerato quaestiones grammaticorum Latinorum proficiscuntur, et quicumque eo tempore u scripserunt, antiquitatem imitati sunt. De quibus Velius quidem Longus dicit: „Concedamus talia nomina per u scribere iis, qui antiquorum voluntates sequuntur, ne tamen sic enuntient, quomodo scribunt.“ [10]) Posteriore autem tempore illa enuntiandi atque scribendi ratio tantisper tenuit, dum annis labentibus atona vocalis i magis magisque debilitata est, ut inter i et e fluctuaret. Sed vulgo haec vocalis postea per i expressa est, raro e occurrit. CIL XII. 2066 maxemus.[11]) Jam vero exempla exstant, in quibus atona vocalis ex superlativi paenultima syllaba syncopa elisa est. CIL VIII. 2402. carismo, 2110. maxme, 10570. gratiosismo. [12]) Quam quidem rem percrebuisse linguae Romanenses probant. „Wir können die Romanischen Sprachen in zwei Klassen sondern, deren eine im ganzen die daktylische Betonung beibehält, also den Nachtonvokal bewahrt, während die andere trochäische Betonung verlangt, also den Vokal tilgt. Der ersten gehört Rumänien, Osträtien und der größte

---

[8]) Quintil. inst. 1, 7, 21. Mar. Victorinus gramm. VI 9, 3. Funaioli pag. 145. test. 10. Cornutus apud Cassiod. gramm. VII. 150, 10.

[9]) F. Bücheler. Gesammelte Schriften. I. Bd. Lpz. 1915, pag. 15.

[10]) G. L. K. VII. 50, 5. [11]) F. Sommer l. s. pag. 106.

[12]) E. Pieske. De titulorum Africae Latinorum sermone quaestiones morphologicae. Diss. Breslau, 1913, pag. 60.

Teil Italiens an, der zweiten die Emilia, das Westrätische, Gallien und die iberische Halbinsel. Im einzelnen sind aber noch mehrfache Unterschiede zu machen.[13]) cf. ital. menomo. R. E. W. 5587[14]) v. francogall. merme. R. E. W. 5587 — ital. massimo. R. E. W. 5446. v. francogall. maisme. R. E. W. 5446. Ex his, quae breviter exposuimus, satis apparet, a quo initio illa vocalis, de qua disserimus, profecta, qua ratione aevo labente debilitata sit, quem exitum habuerit. Hos gradus intellegimus:

$$u > \genfrac{}{}{0pt}{}{i}{u} > i > \genfrac{}{}{0pt}{}{e}{i} < \begin{array}{l} e \text{ — vocalis elisio.} \\ \text{Romanensium linguarum variae vocales.} \end{array}$$

Iam ad Plautum et illius aetatis scriptores revertamur. Si inscriptiones spectamus, illos u scripsisse verisimile est. Quin Plautus illam vocalem per u expresserit, F. Sommer quidem, qui nonnulla argumenta affert, non dubitat.[15]) Quam ob rem Lodge in lexico Plautino[16]) et Lindsay in editione Plauti nihil nisi u scribunt. Ceteri alterius a. Chr. n. saeculi scriptores num eadem enuntiandi et scribendi consuetudine usi sint, incertum est, cum aliqua ex parte eo tempore, quo u vocalis debilitari et i similis fieri coepit, viverent atque scriberent. Hoc unum certum esse mihi videtur scribendi rationem scriptorum ipsam in libris minime conservatam esse, quod praeter ceteros Plauti libri monstrant. Posterioris enim temporis grammatici, qui illorum scriptorum editiones curaverunt, sive quod ipsi modo u modo i enuntiaverunt et scripserunt, sive quod veteris sermonis studio dediti illam consuetudinem quondam exstitisse intellexerant, aut temere u et i litteras posuerunt, aut quasdam leges, quas ipsi excogitaverant, observantes voluntate et iudicio modo u modo i scripserunt. Quam ad rem eae scribendi rationes referendae atque revocandae sunt, quas Brock, Hauler, Sommer in libris inveniri dixerunt. Vel quod sine ulla exceptione ‚minimus' scriptum legimus, eodem pertinet. Quamquam ne inscriptiones quidem

---

[13]) W. Meyer-Lübke. Grammatik der Roman. Sprachen. Lpz. 1890. I. § 325.

[14]) W. Meyer-Lübke. Romanisches etymologisches Wörterbuch. Heidelberg 1911.

[15]) F. Sommer. l. s. pag. 106. A. 1.

[16]) G. Lodge. Lexicon Plautinum. Lpz. 1901 sqq.

‚minumus' tradunt — ‚minimus' solum bis in lapide utrimque inscripto legitur CIL I 2, 2103 — tamen Annaeus Cornutus[17]) se ipsum „in antiquiorum multo libris, quam C. Caesar esset, ‚minume' invenisse" scripsit. Habes de hac re nostrum iudicium.

II.
Quaestiones morphologicae et syntacticae.

Ac de prima parte satis dictum est, sequitur, ut qua ratione priscae Latinitatis auctores vocabula superlative dixerint, consideremus. Universae rei si parum diligenter rationem habeamus, illi semper easdem leges servavisse nobis videri possint, quibus usi optimi Latinitatis scriptores superlativum formaverunt. Tamen si accuratius superlativi formas inspicimus, illos non raro ab eorum consuetudine decessisse intellegimus.[17a])

§ 1.

Adiectiva in —ficus desinentia, quae postea superlativo gradu formato ad analogiam adiectivorum in —ens exeuntium in —ficentissimus terminari debebant, priscae Latinitatis temporibus terminationem —ficissimus assumpserunt. —ficentissimus ante Ciceronem non legitur.[18])

Cato or. 10, 4. beneficissimus. Prisc. III. 14 — Acc. carm. frg. 15. magnificissimus. Prisc. III. 14 — Ter. Phor. 871. mirificissimus. Prisc. III. 14.

§ 2.

Adiectiva, quae in —eus, —ius, —uus exeunt, superlative dici non solent, sed superlativus per aliquod adverbium, quod adiectivi notionem auget, circumscribitur. Quod praeceptum veteres Romani diligenter non tenent.[19])

Cato or. 4. arduissimus — Pacuv. trag. 230. egregiissimus — Plaut. Poen. 1195. 1197. cf. § 5, patruissumus —

[17]) G. L. K. VII. 150, 16. Sommer cf. 15.

[17a]) De rarioribus eiusmodi superlativis iam Henricus Stephanus disputavit: De Plauti Latinitate. (De Latinitate falso suspecta expostulatio) 1576 p. 393 (cf. 380).

[18]) Neue-Wagener. Formenlehre der lat. Sprache. Berlin 1892³. II. pag. 201 sq. F. Sommer. Indogerman. Forschungen. XI. pag. 73 sq. Paul. Festi. pag. 151. M.

[19]) Prisc. I 86 sq. H.

Cato or. 12. perpetuissimus — Cato agr. prooem. 4. strenuissimus — At Cato agr. pr. 4 maxime pius.[20])

§ 3.

Adiectivum ‚celer' superlativi terminationem —issimus habet, quod ab aureae Latinitatis consuetudine (—errimus) discedit et a Charisio grammatico barbarismus dicitur. (I pag. 83 K.)

Enn. An. 460. celerissimus rumor — Enn. An. 591. equitatus celerissimus — Cn. Matius. carm. frg. 4. celerissimus Hector.

‚Maturus' autem, quamquam in —us desinit, non —issimus habet, sed, velut si in —ur exeat, —rimus.[21]) Cato or. 1, 6. maturrime, at Cato or. 1, 26. maturissime.

Ad analogiam adiectivorum in —er exeuntium comparativus ‚deterius', qui ‚detimus' superlativum formare (cf. exterior extimus, interior intimus) debebat, ‚deterrimus' formavit.[22])

Plaut. Trin. 393. deterrumus. Ter. Andr. 835. deterrimus. Hic superlativus saepe invenitur. cf. Thesaurus linguae Lat. V. 798 sqq.

§ 4.

In ‚opituma', quam formam in CIL I 2, 1206 et in aliis inscriptionibus inferioris aetatis legimus, nihil aliud nisi vocalis anaptyctica cognoscitur, a qua consuetudine cum sermo cottidianus tum librorum oratio maxime abhorrent.[23])

§ 5.

Alia res insolita nobis priscos superlativos perscrutantibus occurrit, quae maxime Plauti propria est. Ridiculo enim modo substantiva, pronomina, quin etiam vocabula Graeca superlative dicuntur.

Plaut. Curc. 15, 122 oculissumus < oculus — Plaut. Poen. 1195, 1197. patruissumus < patruus (vide § 2.) — Plaut. Trin. 989. Afran. com. 432. ipsissumus < ipse. Apud

---

20) Neue-Wagener. l. s. II^3. pag. 205. Cic. Phil. 13, 42. piissimus.
21) Neue-Wagener. II^3. pag. 160. Prisc. I. 95 H.
22) Stolz-Schmalz^5. pag. 194. 298. 23) Stolz-Schmalz^5. pag. 98.

Aristophanem Plut. 83 αὐτότατος est. Petronius 63, 3 ‚ipsima' habet. Eandem radicem habet vocabulum vetus—franco-gallicum ‚meisme' < metipsimum[24]) — Plaut. Mil. 941. compsissume < κομψῶς.

Hoc loco etiam commemorandum est: Plaut. Cist. 512. Cist. 611 ‚medioximus', quem superlativum a ‚mediocris' ad analogiam superlativi ‚proximus' comice fictum esse putamus.[25])

§ 6.

Plautus et ceteri priscae Latinitatis scriptores multa adiectiva et adverbia superlative dicunt, quorum superlativus posterioribus temporibus nusquam alibi nisi in epistularum, comoediae inscriptionumque sermone cottidiano formari solet. In quorum tabula infra proposita locos, quibus iidem superlativi praeterea inveniuntur, sub linea adnotamus. Haec autem quaestio, quod ‚thesaurus linguae Latinae' nondum ad litterarum finem deductus est, difficillima redditur. Quam ob rem ad lacunosa lexica et ad libros grammaticos mihi confugiendum est, qua ratione quaedam fortasse lacuna efficitur.[26])

Plaut. Pseud. 739. acidissumus[27]) — Plaut. Curc. 20. Cist. 373. Merc. 688. 812. Ter. Ad. 590. Lucil. 803. bellissumus[28]) — Plaut. Capt. 235. fraudulentissumus[29]) — Plaut. Pers. 830. geminissumus — Plaut. Men. 149. Mil. 666. hilarissumus — Plaut. Pseud. 1161 ignarissumus — Plaut. Most 623. Rud. 662. improbissumus[30]) — Plaut. Poen. 411. impunissumus — Plaut. Rud. 751. impuratissumus[31]) — Pacuv. trag. 194. infidissimus — Ter. Phorm. 509. Hec. 86. inhumanissumus — Plaut. Men. 517, 819.

---

[24]) J. B. Hofmann. Lateinische Umgangssprache. Heidelberg 1926. pag. 91. REW. 5551. [25]) Neue-Wagener. II³. pag. 211. Sommer pag. 459.

[26]) Forcellini. Totius Latinitatis Lexicon. Schneeberg 1831. K. E. Georges. Ausführl. Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch. 8. Aufl. Lpz. 1913. F. A. Heinichens Latein-Deutsches Schulwörterbuch. 9. Aufl. Lpz. 1917. H. Merguet. Lexicon zu den Reden Ciceros. Jena 1877/84. H. Merguet. Handlexicon zu Cicero. Lpz. 1905.

[27]) comparativ. Petron. 68. [28]) Cic. Attic. 6, 4, 3. Petron. 25. Colum. 12, 19, 3. Apul. Apol. 9, 7. Cod. Just. 2.2. 15, 4. [29]) Plin. nat. 30,1. Flor. ep. 3, 1, 17. [30]) nonnumquam in Cic. epistulis et orationibus. [31]) Apul. met. 8.

insanissumus — Plaut. Rud. 652. inverecundissumus[32]) — Plaut. Stich. 158a. invitissumus[33]) — Plaut. Men. 147. Mil. 649. 788. 941. 1382. Most. 262. lepidissumus — Pers. 791. Poen. 1176. Pseud. 323. Stich 660. Ter. Eu. 531. Ad. 911. lepidissumus — Plaut. Rud. 754. mendacissumus[34]) — Plaut. Truc. 557. Cato agr. 66, 1. mundissumus. — Plaut. frg. 93 Ly. (Fest. 181) Ter. Heaut. 868. Coel. Antipater 64. ocissume. — Plaut. Aul. 466. 668. Most. 656. paenissume[35]) — Plaut. Curcul. 506. CIL I 2. 7. parissumus — Plaut. Cist. 63. Pers. 522. 541. frg. 199 Ly. penitissumus — Plaut. Pseud. 351. Rud. 722. 1375. periurissumus[36]) — Plaut. Stich. 382. 389. ridiculissumus — Plaut. Pseud. 1310. Rud. 706. sacrilegissumus. — Plaut. Amph. 552. Aul. 825. scelestissumus — Cato agr. 50. 2. siccissimus[37]) — Plaut. Poen. 506. spissigradissumus[38]) — Plaut. fragm. 95 Ly. sublestissumus — Plaut. Curc. 20. taciturnissumus — Plaut. Aul. 633. verberabilissumus.

Hic afferenda sunt adiectiva in —osus exeuntia, quorum superlativum priscae aetatis scriptores securi formant, aurea autem Latinitas fere vitat.

Cato agr. 34, 1. 50, 2. 131. aquosissimus[39]) — Plaut. Bacch. 21. aerumnosissumus[40]) — Plaut. Bacch. 117. damnosissumus[41]) — Cato agr. 54, 2. herbosissimus — Q. Fab. Max. 1. litorosissimus — Cato orig. 2, 2. industriosissumus — Cato agr. 46, 1. stercorosissimus — Plaut. Curc. 79. vinosissumus — at Cato agr. 128. maxime cretosam, rubricosam. cf. Plaut. Rud. 373. Ter. Ad. 279.

§ 7.

Ne participia quidem perfecti, quae pro adiectivis sunt, Cicero et alii scriptores optimi superlative dicere usquam dubitant. Hanc autem consuetudinem apud Plautum et

---

[32]) comparativ. Val. Max. 7, 7. Hieron. ep. 128, 2.
[33]) Cic. ad fam. 13, 63. ad Att. 5, 21.
[34]) comparativ. Hor. ep. II. 1, 112. [35]) Apul. apol. 99, 7.
[36]) Cic. pro Q. Rosc. 20. [37]) Colum. 12, 15.
[38]) cf. H. Stephani De Plauti Latinitate. Paris 1576. pag. 393 (cf. 380).
[39]) Sen. nat. 3, 11, 4.
[40]) Cic. Att. 3, 19, 2. Cluent. 201. Ambros. et patres eccles.
[41]) Liv. 6, 11, 9. Plin. nat. 9, 104.

alterius saeculi scriptores ad multa participia pertinere cognoscimus, quorum superlativi ab eleganti sermone alieni sunt atque adverbiis circumscribuntur.

Plaut. Asin. 282. Capt. 775. ecfertissumus — Plaut. Aul. 825. cumulatissumus — Plaut. Aul. 333. Men. 698. exclusissumus — Plaut. Trin. 1072 exoptatissumus [42]) — Scip. Afr. min. (Gell. 2, 20.) expolitissimus — Ter. Phorm. 290. immeritissimus — Ter. Andr. 634. impudentissimus — Cato orig. 4, 7. inclutissimus [43]) — Plaut. Most. 1135. inscitissumus — Plaut. Poen. 1127. insperatissumus — Plaut. Mil. 57. invictissumus [44]) — Plaut. Poen. 452. iratissumus [45]) — Caec. Stat. com. 244. lautissimus [46]) — Plaut. Pseud. 1322. lubentissumus [47]) — Plaut. Asin. 737. Epid. 430. Caec. Stat. com. 15. Turpil. com. 169. meritissumus [48]) — Plaut. Cas. 694. occisissumus — Plaut. Curc. 15, 16. occlusissumus — Cato or. 9, 2. ratissimus — Plaut. Stich. 184. 273. scitissumus — CIL I 2, 1366, 1393, 1590. amantissumus — ‚amantissumus' in inscriptionibus semper sensum passivum habet, in libris activum.

Ex his, quae exposuimus, praeter ceteros Plautum et scaenicos poetas ab optimae Latinitatis legibus maxime discedere cognoscimus. Quamquam autem maiore ex parte illae inusitatae superlativi formae cottidiani sermonis propriae sunt, qui grammaticae leges contemnere solet, tamen multos superlativos, ut comicam vim haberent, formatos esse apparet. Sed ad hanc rem in ea parte revertemur, qua quaestiones psychologicas considerabimus.

§ 8.

Satis multa de insolitis atque inusitatis formis; sequitur alia priscae Latinitatis consuetudo, de qua accuratius est disputandum. Saepe enim adiectiva et participia adverbiorum ope superlative dicuntur. Qua ratione veteres Romani scriptores non satis habebant adiectiva et participia, quae iusta superlativi forma carent, circumscribere, sed etiam ea,

---

[42]) Cic. Att. 4, 1. [43]) Colum. 1, 4, 2. [44]) Cic. Verr. II 4, 38.
[45]) Cic. Phil. 8, 6. [46]) Plin. ep. 9, 17.
[47]) Cic. fam. 13, 65. frg. ap. Non. 4, 107.
[48]) Plin. ep. 5, 15. Quint. inst. 9, 2, 35.

quorum superlativum apud optimos Latinitatis scriptores legere licet. Quorum superlativos, si occurrunt, adnotabimus ita, ut unum cuiusque scriptoris exemplum afferre satis habeamus. Ac primum adverbium ,maxime', deinde cetera adverbia ad notionem augendam usurpata comprehendemus.

maxime.

Plaut. Mil. 788. Ter. Heaut. 997a. maxume adulescentem — Plaut. Pseud. 269. Ter. Ad. 503. maxume aequum[49]) — Plaut. Capt. 99. maxume alienum[50]) — Plaut. Asin. 857. maxume amantem[51]) — Cato agr. 28,1. maxime cavendum — Sisenna hist. 126. maxime celatim — Plaut. Trin. 664. maxume clarum[52]) — Ter. Phorm. 295. maxume cognata — Plaut. Mil. 1024. maxume concinnum — Ter. Heaut. 393. maxume consimile — Cato agr. 128. maxime cretosam vel rubricosam — Quadrig. hist. 10b. maxime commotas — Plaut. Amph. 132. maxume cupiens — Ter. Eun. 866. maxime digna[53]) — Ter. Heaut. 408. maxume exspectatum[54]) — Turpil. com. 143. maxume fortunatam[55]) — Plaut. Mil. 364 (P) maxume innocentem — Plaut. Rud. 217 maxume libera — Cato agr. 40,2. maxime lentum — Plaut. Capt. 936. maxume merito. CIL I 2. 1531.[56]) — P. Corn. Scip. Afr. min. in Macrob. Saturn. 2, 10. maxime misertum — Plaut. Amph. 832. maxume par[57]) — Cato agr. 1, 4. maxime pius — Plaut. Mil. 855. maxume plenam[58]) — Ter. Ad. 501. maxume potentes, dites[59]), fortunati[55]), nobiles[60]) — Ter. Phor. 241, maxume secundae — Lucil. 616. maxume spectatam — Ter. Ad. 926. maxume unam — Ter. Andr. 835. maxume utile — Ter. Heaut. 997. maxume vana — Plaut. Bacch. 1001. Pseud. 433. Ter. Heaut. 997. maxume verum[61]) — Lucil. 609. maxume vitandum.

---

[49]) Plaut. Rud. 1029. Sext. Turpil. com. 56.

[50]) M. Antonius in Cic. de or. 2, 48, 199.

[51]) CIL I 2. 1366. 1393. 1590. [52]) Sisenna hist. 136. comp. Plaut. Curc. 379. [53]) Plaut Most. 52. [54]) comp. Plaut. Most. 442.

[55]) Cato or. 6, 1. Ter. Phor. 504. [56]) Plaut. Asin. 737. Caecil. com. 15. Turpil. com. 169. [57]) Plaut. Curc. 506. CIL I. 2, 7.

[58]) Plaut. Rud. 651. Lucil 739. [59]) comp. Plaut. Aul. 809.

[60]) C. Gracchus in Gell. X. 3; Luscus orat. in Cic. Brut. 20.

[61]) Plaut. Merc. 206; Ter. Phor. 772; Aquil. com. 5.

Transeamus ad cetera adverbia, quorum primum ea, quae proprie augendi vim habent, considerabimus, tum ea, quae, quamquam fere qualitatem quandam indicant, nonnumquam tamen ad adiectivi aut participii notionem augendam assumuntur.

A.

a) multum.[62]

Plaut. Men. 731. multum et audax[63] et mala[64] — Merc. 887. multum benevolens — Rud. 261. multum benignam[65] — Capt. 87. multum incommodestici — Men. 316. multum ineptum — Aul. 124. multum loquaces — Stich 206. multum miseri[66] — Capt. 272. Men. 572. multum molestum — Mil. 370. multum mora. — Mil. 443. multum stulta[67] — Enn. An. 625. multum ante alias infelix. — Terentius hunc adverbii ‚multum' usum non habet.

b) satis.[68]

Adverbium ‚satis', quod vulgo id, quod sufficit, significat, apud Plautum et aequales non raro adverbiis ‚valde', ‚recte' simile est. Sed cum hae significationes non multum differant, alterum exemplum ab altero discernere difficillimum est.

Plaut. Cas. 303. satis advorsae — Pl. Trin. 556. arcano satis — Acc. trag. 308. satis armatus — Lucil. 1274 satis asper[69] — Ter. Phor. 968. satis astute[70] — Plaut. Amph. 838. satis audacter[71] — Pl. Curc. 243. Most. 827. satis bonum — Pl. Poen. 285. Pall. inc. 89. satis bene[72] — Pall. inc. 89. Cato de re mil. 13. satis celer[73] — Pl. Pers. 547. satis concinna — Pl. Cist. 334. Ter. Heaut. 71. Eu. 704. Hec. 204. 656. Ad. 256. 329. satis certum[74] — Pl. Bacch. 130. Most. 254. Ter. Andr. 475. Q. Metellus in Gell. 1, 6. satis

---

[62] P. Gehlhardt. De adverbiis ad notionem augendam a Plauto usurpatis. Diss. Halle 1892. E. Wölfflin. Lateinische und Romanische Comparation. Erlangen 1879. pag. 7 sq.

[63] Pl. Rud. 648. Ter. Phor. 561. [64] saepissime. [65] comp. Pl. Trin. 459. [66] Pl. Aul. 443. Ter. Eu. 846. Enn. praetext. 1. Caec. com. 28. Lucil. 733. Quadrig. hist. 27. [67] Pl. Bacch. 1098. Ter. Ad. 218. [68] Wölfflin. pag. 23. [69] Cato or. 4. [70] comp. Pl. Cas. 860. [71] Pl. Rud. 648. Ter. Phor. 561. [72] saepissime. [73] Enn. A. 460. Cn. Matius c. frg. 4. [74] Pl. Poe. 708. Lucil. 1314.

commode[75]) — Ter. Heaut. 617. satis contemplata. — Pl. Asin. 517. satis dicacula — Ter. Andr. 230. satis dignus[76]) — Pl. Capt. 792. Ter. Eu. 1085. Ter. Ad. 621. Quadrig. hist. 81. satis diu[77]) — Pl. Aul. 166. Most. 228. satis dives[78]) — Ter. Heaut. 439. satis durus.[79]) — Ter. Eun. 603. satis explorata — Pl. Pseud. 1273. satis facete[80]) — Pl. Capt. 965. satis facundus — Ter. Hec. 556. satis firmus[81]) — Afran. com. 227. satis fortiter[82]) — Pl. Bacch. 992. grandes satis[83]) — Pl. Merc. 403. satis honeste — Pl. Cas. 935. satis lepide[84]) — Pl. Pers. 841. sat liber, frugi, honestus — Pl. Pseud. 388. sat longae[85]) — Pl. Pseud. 134. sat magnificus[86]) — Ter. Eu. 208. satis mandatum — Pl. Cas. 896. satis morigera — Pl. Rud. 462. satis nequam[87]) — Pl. Most. 293. ornata satis[88]) — Pl. Amph. 633. satis parva[89]) — Ter. Hec. 594. satis perfuncta — Pl. Amph. 578. satis plane[90]) — Pl. Pers. 183. satis plana et certa — Pl. Mil. 918. satis probe[91]) — Ter. Heaut. 723. satis proterve — Pl. Stich. 737. sat pulchre[92]) — Pl. Amph. 604. Cas. 298. Ep. 5. Men. 741. Most. 1109. Pers. 603. Rud. 829. Ter. Andr. 804. Heaut. 996. Acc. trag. 87. satis recte[93]) — Pl. Trin. 1177. satis salvae — Pl. Amph. 604, Bacch. 627, Cas. 298, Cist. 245, Men. 312. 390. Merc. 682, Trin. 454. Ter. Andr. 749. Heaut. 707, 986. Eu. 559. satis sanus — Pl. Trin. 786. Merc. 755. Ter. Heaut. 729. Phor. 109. satis scitum[94]) — Ter. Eu. 703. satis sobriam — Pl. Mil. 355. satis subdola — Ter. Phorm. 915. satis superbe — Ter. Ad. 893. spectatus satis — Ter. Eu. 577. Phor. 818. satis tutus[96]) — Pl. Rud. 320. satis venustas[97]) — Ter. Andr. 150. satis vehemens.[98])

---

75) comp. Trin. 377. 76) Most. 52. 77) Cato agr. 35, 1. comp. Pl. Rud. 93. Lucil. 907. 78) comp. Pl. Aul. 809. 79) comp. Pl. Pseud. 154. 80) comp. Lucil. 963. 81) comp. Pl. Trin. 229. 82) Cato agr. prooem. 4. Quadrig. hist. 85. 83) comp. Pl. Curc. 118. 84) Pl. Mil. 788. Ter. Ad. 911. 85) Pl. Most 911. Cato agr. 19, 2. 86) Acc. c. frg. 15. 87) Pl. Asin. 922. Cato ad fil. med. 1. 88) Ter. Phor. 853. 89) saepissime. 90) Pl. Capt. 74. Ter. Phor. 686. 91) Ter Ad. 419. CIL. I². 1808. 92) Pl. Stich. 757. Ter. Phor. 869. Acc. praetext. 37. Liv. Andr. trg. 40. Lucil. 564. Enn. An. 91. Cato agr. 104, 2. Coel. Antip. hist. 46. 93) Cato agr. 19, 1. comp. Lucil. 866. 94) Pl. Stich. 184. 96) Ter. Ad. 552. 97) Pl. Poen. 1177. 98) Cato agr. 157, 2. comp. Lucil. 1220.

c. nimis ~ nimium.[99])

Adverbia ‚nimis' et ‚nimium', quae illo tempore promiscue dicebantur, apud Plautum et scaenicos poetas non solum id, quod modum excedit, significant, sed etiam saepissime vim attenuatam habent et pro ‚multum', ‚valde' similibusque adverbiis posita sunt. Hanc vim attenuatam habent in his exemplis:

nimis.

Pl. Asin. 582. Cato or. 9. nimis aegre[100]) — Poen. 393 nimis aurata — Pl. Trin. 974. nimis argute — Pl. Epid. 281. nimis astute[101]) — Naev. com. 49. nimis avarus[102]) — Caecil. com. 250. nimis audacem[103]) — Caecil. com. 250. nimis bardum — Pl. Epid. 209. Men. 1019. Stich. 374. nimis bene[104]) — Pl. Bacch. 724. nimis bellus[105]) — Pl. Asin. 674. nimis bella atque amabilis — Asell. hist. 5. nimis bonum[106]) — Pl. Most. 1142. nimis catus — Pl. Epid. 378. Mil. 248. nimis doctus[107]) — Pl. Pers. 323. nimis facete[108]) — Pl. Mil. 1141. nimis facunde — Naev. com. 90. nimis fidelis[109]) — Pl. Amph. 1117. Naev. com. 45. nimis formidolosus — Ter. Heaut. 1045. nimis graviter[110]) — Liv. Andr. trag. 25. nimis impudenter[111]) — Enn. trag. 157. infrena nimis — Ter. Heaut. 1046. nimis inhumane[112]) — Pl. Aul. 106. nimis invitus[113]) — Pl. Aul. 497. Cas. 773. Cist. 312. Mil. 925. Poen. 666. Rud. 360. nimis lepide[114]) — Curc. 167. Mil. 871. Truc. 247. nimis lepidus — Pl. Men. 94. nimis lenta — Pl. Poen. 841. nimis lubens[115]) — Cato orig. 95a. nimis luxuriose — Pl. Truc. 704. nimis magnae[116]) — Pl. Aul. 61, 208. Capt. 913. Most. 278. Pseud. 912, 1019. Rud. 920. nimis male[117]) — Pl. Amph. 828, 858. Mil. 377. nimis mirum — Ter. Ad. 523.

---

[99]) Wölfflin. Comparation. pag. 24. [100]) Enn. trag. 91. comp. Plaut. Aul. 910. [101]) comp. Pl. Cas. 680. [102]) cop. Pl. Capt. 320. [103]) Pl. Rud. 648. Ter. Phor. 561. [104]) saepissime. [105]) Pl. Merc. 688. Ter. Ad. 590. Lucil. 803. [106]) saepissime. [107]) Pl. Poen. 1149. [108]) comp. Lucil. 963. [109]) comp. Capt. 716. [110]) Stich. 164. Ter. Ad. 468. [111]) Ter. Andr. 634. comp. Pl. Asin. 543. [112]) Phor. 509. [113]) Pl. Stich. 158a. [114]) Pl. Mil. 788. Ter. Ad. 911. [115]) Pl. Pseud. 1321. [116]) saepissime. [117]) saepissime.

nimis misere[118]) — Pacuv. trag. 216. nimis molli[119]) — Naev. com. 90. nimis morigera — Pl. Truc. 247. nimis mortalis — Naev. com. 55. Pl. Most. 1012. nimis multum[120]) — Pl. Men. 964. nimis nequiter.[121]) — Pl. Mil. 1003. nimis nitida[122]) — Turpil. com. 34. Afran. com. 320. nimis numero — Pl. Epid. 695. nimis obnoxiosus — Pl. Cist. 309. nimis opportune[123]) — Pl. Trin. 1139. nimis pergraphicus — Pl. Truc. 247. nimis probus[124]) — Pl. Amph. 218. nimis pulcris[125]) — Ter. Ad. 899. nimis sanctas[126]) — Pl. Amph. 506. nimis scitus[127]) — Pl. Amph. 742. nimis simile[128]) — Naev. com. 59. nimis spisse ac tarde — Pl. Men. 701. Merc. 501. Pers. 19. Titin. com. 107. nimis stulte[129]) — Ter. Heaut. 440. vehemens nimis[130]) — Pl. Aul. 750. nimis vile.[131])

nimium.

Ter. Ad. 954. nimium attenti — Titin. com. 49. nimium benigniter[132]) — Ter. Eu. 381. nimium calidum[133]) — Pl. Poen. 874. nimium cito[134]) — Pl. Trin. 620. nimium difficile[135]) — Ter. Ad. 64. nimium durus[136]) — Pl. Epid. 2. nimium familiariter — Pl. Mil. 591. nimium festiva[137]) — Pl. Pseud. 700. Trin. 936. nimium graphicum — Ter. Ad. 684. indiligens nimium — Ter. Hec. 853. nimium ignavum[138]) — Ter. Ad. 62. nimium ineptus — Pompon. Atell. 17. nimium insaniter[139]) — Pl. Cas. 771. Mil. 998, 1003. Poen. 901. Stich. 703, 748. Truc. 505. Ter. Eu. 1018. nimium lepidum[140]) — Pl. Aul. 537. nimium lubenter[141]) — Pl. Truc. 704. nimium magnae[142]) — Pl. Men. 1039. (R.) nimium mira[143]) — Pl. Trin. 931. nimium mirimodis mirabiles — Pl. Truc.

---

[118]) Pl. Aul. 443. Ter. Eu. 846. Caecil. com. 28. Enn. praet. 1. Lucil. 733. Quadrig. 27. [119]) Enn. A. 369. Cato inc. 11. cop. Pl. Poen. 693. [120]) saepissime. [121]) Pl. Asin. 922. Cato ad fil. 1. [122]) comp. Pl. Aul. 540. [123]) comp. Pl. Pseud. 669. [124]) Ter. Ad. 419. CIL. I 2, 1809. co. Pl. Pseud. 439. [125]) cf. satis pulchre. [126]) Lucil. 170. CIL. I 2, 1406. [127]) Stich. 184. [128]) Asin. 215. Cato agr. 46, 1. [129]) Bacch. 1098. Ter. Ad. 218. [130]) Cato agr. 157, 2. [131]) Pseud. 806. [132]) comp. Tri. 459. [133]) Cato agr. 34, 1. [134]) Capt. 337. [135]) Ter. Eu. 926. [136]) comp. Pl. Pseud. 154. [137]) Pl. Epid. 623. Ter. Ad. 983. trag. inc. 223. [138]) Pl. Poen. 1282. Ter. Eu. 239. [139]) Pl. Men. 517. [140]) Pl. Mil. 788. Ter. Ad. 911. [141]) Pl. Pseud. 1321. [142]) saepissime. [143]) comp. Pl. Pseud. 669.

852. nimium opportuna — Pl. Cas. 522. Merc. 526. nimium scite[144]) — Pl. Truc. 507. nimium simile[145]— — Pl. Cist. 378. nimium vegrandi.

Lodge (II pag. 169/170), Woefflin (pag. 24), Gehlhardt (pag. 16) nonnullos versus afferunt, in quibus adverbium ‚nimio' positivis additum est, quae lectio maiore ex parte coniecturis debetur, et Charisium grammaticum (G. L. K. pag. 208) illius consuetudinis auctorem habent. Hoc plane repudiandum esse iam Langen explicavit.[146]) Plautum enim ‚nimio' positivis addidisse minime verisimile est.

d. sane.

Particula ‚sane' saepe adiectivis et adverbiis apponitur et eandem vim et significationem ac ‚multum' et ‚valde' habet. [Charisius, G. L. K. pag. 218, 8; Prisc. G. L. K. II. pag. 71, 12.][147])

Pl. Asin. 386, sane amicus[148]) — Pl. Capt. 188. asper sane[149]) — Ter. Andr. 848. Hec. 178. Ad. 586. sane bene[150]) — Ter. Heaut. 524. sane bona — Pl. Asin prol. 8. sane breve[151]) — Pl. Poen. 284. Ter. Ad. 783. sane commodum.[152]) — Mil. 1116. sane congruos — Pl. Asin. 646. sane dignus[153]) — Pl. Merc. 541 sane diu. — Ter. Phor. 920. invitum sane[154]) — Pl. Mil. 882. Ter. Ad. 687. sane magnum[155]) — Pl. Poen. 1303. sane mulierosum — Hypsicrates gram. 2. sane nobiles[156]) — Ter. Hec. 459. sane obsequens — Ter. Hec. 143. sane pauculis — Ter. Hec. 636. sane perpetuam[157]) — Ter. Phor. 542. sane pulchre[158]) — Ter. Heaut. 581, 538. Eu. 981. Phor. 999. Ad. 417. recte sane[159]) — Plaut. Pers. 447. sapienter sane[160]) — Pl. Trin. 783. scite sane[161]) — Cato orig. 95g. sane superbi.[162])

---

[144]) Stich. 184. [145]) Pl. Asin. 215. Cato agr. 46,1. [146]) P. Langen. Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus. Lpz. 1880. pag. 333. [147]) Wölfflin. Comparation pag. 11. Gehlhardt. l. s. pag. 21. [148]) Pl. Most. 340. Ter. Andr. alt. exit. 13. [149]) Cato orat. 4. [150]) saepissime. [151]) comp. Pl. Amph. 549. [152]) comp. Pl. Trin. 377. [153]) Pl. Most. 52. [154]) Pl. Stich. 158 a. [155]) saepissime. [156]) C. Gracchus. (in Gell. 10,3). Luscus orat. (in Cic. Brut. 20). [157]) Cato or. 12. [158]) cf. satis pulcher. [159]) Cato agr. 19, 1. comp. Lucil. 866. [160]) Pl. Stich. 123. [161]) Pl. Stich. 184. [162]) C. Gracch. in Gell. 10, 3.

e. admodum.

Eadem ratione, qua ‚sane' et ‚nimis' etiam ‚admodum' usurpatur.[163])

Naev. com. 26. Pl. Trin. 366. admodum adulescentulus — Pl. Men. 255. admodum aestive — Pl. Trin. 593. admodum in ambiguo — Pl. Amph. 268. astutum admodum[164]) — Lucil. 903. admodum gravem[165]) — Pl. Bacch. 501. Epid. 505. Pseud. 962. admodum incertum[166]) — Poen. 246. insulsae admodum — Pl. Pseud. 1220. admodum magnis — Pl. Men. 622. tristis admodum.

f. adeo.

Adverbium ‚adeo', quod plerumque idem ac ‚usque ad id tempus', ‚ita', ‚tam' significat, in cottidiano sermone etiam gradationis notionem habet et adverbio ‚admodum' non dissimile est. Imprimis autem cum pronominibus coniunctum invenitur.[167]) Cum adiectivis perraro occurrit.

Ter. Ad. 40 adeo dissimili — Pl. Curc. 333. adeo fideliter[168]) — Ter. Andr. 977. adeo longum[169]) — Pl. Truc. 357. adeo male[170]) — Ter. Hec. 240. merito adeo[171]) — Pl. Capt. 823. mirum adeo — Ter. Eu. 204. adeo nobilem — Ter. Heaut. 109. nulla adeo — Ter. Heaut. 386. Hec. 396. adeo omnes — Pl. Cas. 801. adeo salubriter — Ter. Hec. 457. adeo salvum atque validum.

g. oppido.

Crebrius autem particula ‚oppido' adiectivis et adverbiis apponitur, quorum vim augeat.[172])

Pl. Mil. 627. oppido Acheruntícus — Mil. 634. oppido adulescentula — Ter. Heaut. 669. angustum oppido — Pl. Merc. 245. oppido bene[173]) — Ter. Heaut. 734. oppido invitam[174]) — Ter. Hec. 238. lassam oppido — Ter. Ad. 323. oppido opportune.[175])

---

163) Woelfflin. pag. 22. 164) comp. Pl. Cas. 860. 165) Pl. Stich. 164. Ter. Ad. 468. 166) comp. Pl. Stich. 500. 167) Lodge. Lex. Plaut. I pag. 45. 168) comp. Pl. Capt. 716. 169) Most. 911. Cato agr. 19, 2. 170) saepe. 171) Pl. Asin. 737. Caec. com. 15. Turpil. com. 169. 172) Woelfflin. pag. 21. 173) saepe. 174) Pl. Stich. 198 a. 175) comp. Plaut. Pseud. 669.

h. prime — adprime — cumprime.

Ac de horum adverbiorum significatione satis constat; ‚adprime', ‚prime', ‚cumprime' ad affirmandum usurpata similem ac ‚valde' notionem continent.[176])

Pl. Mil. 794. prime cata — Naev. com. 1. prime proba [177]) — Pl. Cist. 125. Ter. Eu. 952. adprime nobilis [178]) — Ter. Hec. 247. adprime obsequentem — Pl. Rud. 735. Trin. 373. adprime probus — Ter. Andr. 61. adprime utile — Quadrig. hist. 7. cumprime fortem.[179])

i. prorsus.

Haec particula nonnumquam adverbiorum adiectivorumque notionem auget [180])

Pall. inc. 59. prorsus aequum [181]) — Pl. Trin. 730. nullo modo prorsus — Pl. Asin. 748. prorsus unicus.

j. valde — plane — vehementer.

Haec adverbia in veterum Romanorum sermone raro cum adiectivis et adverbiis coniunguntur.[182])

Pl. Pseud. 145. valide varia — Pl. Merc. 314. plane decrepitus — Pl. Mil. 650. plane educatum — Caecil. com. 38. plane gladiatoria — Pl. Poen. 1158. plane meus — Pl. Most. 194. stulta plane [183]) — Q. Serv. Caepio. or. in Charis. pag. 198 vehementer idoneus.

k. longe.

Iam vero adverbium ‚longe', quod proprie loci significationem habet, tractandum est. Ut adverbia ‚prorsus' et ‚plane' ita ‚longe' adverbio, adiectivo, participio appositum illam loci significationem perdidisse et iam Plauti aetate nihil aliud nisi ‚multum' aut ‚valde' significavisse putamus. Hoc adverbium etiam ad superlativi vim augendam adhibetur. Quam sermonis consuetudinem Ciceronis temporibus in omnium usu fuisse inter omnes constat,[184]) priscae autem

---

[176]) Woelfflin. pag. 17/18. [177]) Ter. Ad. 419. CIL. I 2. 1809. comp. Pl. Pseud. 439. [178]) C. Gracchus in Gell. 10, 3. Luscus. or. in Cic. Brut. 20. [179]) Cato agr. prooem. 4. Naev. carm. frg. 43. Quadrig. hist. 85. comp. Pl. Asin. 557. [180]) Woelfflin. Comparation. pag. 24. [181]) Pl. Rud. 1029. Turpil. com. 56. [182]) Woelfflin. pag. 9, 11, 24. [183]) Pl. Bacch. 1098. Ter. Ad. 218. [184]) Stolz-Schmalz [5]. pag. 445.

Latinitatis propriam fuisse negatur.[185]) At nihilo minus certa exempla exstant, quae illa aetate non prorsus inusitatam fuisse monstrant. Quin enim adverbii ‚longe' translata significatio ab iis exemplis repetenda sit, in quibus ‚longe' verbis et participiis appositum est, quae proprie quidem loci significationem, saepe tamen translatam habent, dubitari non potest. Quibus in exemplis loci adverbium ‚longe' ad alterum eorum intellectum translatum non aliud atque ‚multum' valet. Et illa exempla priscae Latinitatis sermoni non desunt. Minime autem in hac re comparativa vis, quam in illis verbis et participiis inesse Gehlhardt dicit,[186]) agitur.

Pl. Asin. 629. vostrae fortunae meis praecedunt longe — Pl. Bacch. 1089. omnis longe antideo stultitia — Plaut. Epid. 403. divortunt mores . . . . longe — Acc. carm. frg. 13. genera poematorum . . . . longe distantia — Sisenna hist. 109. egregias et longe praestantes . . . adversariorum opes.

Quam significationem translatam ‚longe' semper habet, cum adiectivo ‚alius' aut adverbio ‚aliter' appositum est.

Pl. Asin. 205. longe aliam — Lucil. 531. 1215. 1216. Cato or. 17,3. longe aliud — Pl. Epid. 579. Truc. 171. longe aliter.

Atque duo exempla occurrunt, in quibus ‚longe' etiam cum superlativis coniunctum est.

Pl. Most. 911. longe longissumum — Enn. An. 91. longe pulcherrima.

Gehlhardt Plautum consonorum verborum studio inductum ita scripsisse putat,[187]) et Woelfflin Plautum allitterationis gratia boni sermonis leges violavisse iudicat.[188]) Quod ad Ennii exemplum attinet, adverbium ‚longe' non cum superlativo ‚pulcherrima', sed cum verbo ‚volavit' coniungendum esse sentit.

„et simul ex alto longe pulcherrima praepes
laeva volavit avis."

Quod in contrariam partem allatum facile refelli potest. In Ennii enim versu ‚longe' et ‚pulcherrima' non separanda

[185]) Woelfflin. Comp. pag. 37 sq. [186]) Gehlhardt. l. s. pag. 28. [187]) id. pag. 28. [188]) Woelfflin. Comparation. pag. 37.

esse iam Johannes Vahlen probat, qui hunc locum accuratissime interpretatus verbis „ein wunderschöner Weissagevogel" germanice reddidit,[189]) et in Enniani sermonis indice (pag. 278.) ‚longe' superlativo apposuit. Quodsi in priscae Latinitatis sermone adverbium ‚longe' certis verbis et adiectivis appositum translate pro ‚multum' et ‚valde' dici et ab hoc usu posterorum consuetudinem ‚longe' comparativo et superlativo praemittendi repetendam esse conceditur,[190]) nihil est causae, quare negemus illud iam priscae Latinitatis proprium fuisse, etiamsi duo tantum exempla illius consuetudinis inveniuntur. Quae quam variis viis in sermonem irrepere potuerit, bene cognoscimus.

l. quamvis.

Illis adverbiis denique ‚quamvis' adverbialiter adhibitum non dissimile est et idem ac ‚valde' et ‚admodum' valet.[191])

Pl. Cas. 901 (add. R). Epid. 16. Merc. 726. Most 852. quamvis audacter[192] — Pl. Most. 411. Stich. 721. quamvis desubito — Pl. Trin. 380. quamvis facunde — Pl. Rud. 373. quamvis fastidiosus — Pl. Merc. 687. quamvis insipiens[193]) — Pl. Mil. 615. quamvis lepide[194]) — Pl. Trin. 797. quamvis longi[195]) — Pl. Trin. 554. quamvis malam[196]) — Ter. Ad. 279. quamvis otiosus — Pl. Pseud. 1175. quamvis pernix — Pl. Men. 318. quamvis ridiculus — Pl. Bacch. 82, 339. quamvis subito.

B.

Quoniam adverbia, quae proprie augendi et affirmandi vim habent, consideravimus, ad ea transimus, quae, quamquam qualitatem quandam indicant, tamen nonnumquam ad participii, adiectivi, adverbiique notionem augendam assumuntur. Qua ratione praeter cetera adverbia ‚bene' et ‚probe' in priscae Latinitatis sermone adhibita sunt.

---

[189]) J. Vahlen. Ges. philol. Schriften. II. pag. 404, 29. Lpz. 1923. cf. Fr. Leo. Gesch. d. Röm. Literatur. I. Bd. Berlin 1913. Beilagen. pag. 464. „ein wunderherrlicher Vogel". [190]) Gehlhardt. l. s. pag. 28. [191]) Stolz-Schmalz. 5. Aufl. pag. 737. [192]) Pl. Rud. 648. Ter. Phor. 561. [193]) comp. Pl. Trin. 929. [194]) Pl. Men. 147. Ter. Ad. 911. [195]) Pl. Most. 911. Cato agr. 19, 2. [196]) saepe.

a) bene.

Pl. Most. 186. Ter. Andr. 274. bene doctum[197]) — Enn. A. 32. bene firmum[198]) — Cato agr. 3, 5. bene frequens — Lucil. 1073. bene longincum — Cato agr. 157, 12. bene minutam[199]) — Lucil. 1356. Cato agr. 76, 1. bene mollis[200]) — Pl. Capt. 966. bene morigerus — Lucil. 268. bene plena[201]) — Pl. frgm. 104. Ly. (Varr. l. L. VII 77) Lucil. 1070. bene potus — Cato agr. 96, 1. puram bene[202]) — Cato agr. 76, 2. bene recens — Enn. An. 234. bene saepe[203]) — Enn. An. 527. bene serena — Cato agr. 76, 2. bene siccum[204]) — Cato agr. 45, 1. bene tenera[205]) — CIL VI. 14211; Diehl 491. bene tutus[206]) — Pl. Cas. 596. bene vocivas.

b. probe.

Pl. Mil. 1397. acutus probe — Pl. Amph. 282. Rud. 566. probe adpotus — Pl. Bacch. 942. animati probe — Pl. Cas. 124. curvum probe — Pl. Most. 342. ebrius probe — Pl. Pers. 123. egentem probe[207]) — Pl. Aul. 573. madidum probe — Pl. Most. 102. probe examussim — Pl. Pseud. 1252 probe madulsa — Pl. Mil. 903. Trin. 817. probe meditatum — Pl. Asin. 342. memor probe — Pl. Pseud. 218. probe onustos — Pl. Poen. 1049. par probe[208]) — Ter. Heaut. 361. perdocta probe — Pl. Poen. 804. satur factus probe — Pl. Pers. 667. praedatus probe — Ter. Heaut. 1020. simile probe[209]) — Mil. 609. sterilis probe — Most. 473. tutum probe.[206])

c. **Alia adverbia** raro occurrunt.

Ter. Andr. 273. egregie caram[210]) — Pl. Mil. 1015. firme fidus — Pl. Pers. 306. graphice facetus[211]) — Pl.

---

[197]) Pl. Poen. 1149. [198]) comp. Pl. Trin. 229. [199]) Cato agr. 95, 2. [200]) Enn. An. 369. Cato inc. 11. comp. Pl. Poe. 693. [201]) Pl. Rud. 651. Lucil. 739. [202]) Lucil. 1368. Cato agr. 66, 1. [203]) Pl. Men. 302. Cato agr. 61, 1. CIL. I 2, 364. [204]) Cato agr. 50, 2. [205]) Cato agr. 141, 4. [206]) Ter. Ad. 552. [207]) comp. Pl. Vid. 81. [208]) Pl. Curc. 506. CIL. I 2, 7. [209]) Pl. Asin. 215. Cato agr. 46. 1. [210]) Pl. Pseud. 805. Ter. Eu. 927. CIL. I 2. 1003. 1223. 1419. [211]) comp. Lucil. 963. [212]) comp. Pl. Merc. 818.

Rud. 1097. insignite inique[212]) — Pl. Epid. 566. inpense improbus[213]) — Pl. Aul. 196. large blandus[214]) — Pl. Epid. 485. peccatum largiter — Pl. Cas. 558. Pl. Mil. 927. lepide ludificatus — Pl. Cas. 726. lepide excuratus — Pl. Nervol. frg. IV. v. 94. Ly. Fest. 229, 21. producte prodigum — Pl. Pers. 554. pulchre munitum — Pl. Amph. 681. pulchre plenam[215]) — Ter. Eu. 728. pulchre sobrius —

Restant nonnulla adverbia, quae, cum quandam malam notionem habeant, iis tantum verbis apposita esse, quae ipsa quoque malae notionis sunt, Gehlhardt putat.[217]) Quae ratio plane repudienda est, cum ‚malae notionis' adverbia iisdem atque similibus verbis apposita sint, atque ‚bonae notionis' adverbia. Sed de hac re infra disputabimus.

Pl. Mil. 24. Most. 761. insanum bene — Pl. Most. 908. insanum bonam — Pl. Bacch. 761. insanum magnum — Pl. Trin. 673. insanum malum — Pl. frgm. 96. Ly. insanum valde — Pl. Bacch. 934. misere male — Ter. Adel. 523. misere nimis — Pl. Aul. 731. misere perditus — Ter. Heaut. 650. misere religiosae.

Quibus ex exemplis omnibus illam superlativum circumscribendi rationem in priscae Latinitatis sermone crebram et variam fuisse apparet. Imprimis Plauto et scaenicis poetis hoc dicendi genus proprium fuit. Ac minime iisdem quibus bona Latinitas legibus adducti sunt, ne iustam superlativi formam formarent; nam saepissime participiorum et adiectivorum et adverbiorum superlativos circumscribunt, quae cum in bonae Latinitatis sermone tum ab iis ipsis superlative dicuntur. Itaque in alia ratione illa dicendi consuetudo posita est. Hac enim re id agitur, quod Franciscus Skutsch[218]) „den analytischen Charakter" sermonis cottidiani et Romanensium linguarum nominavit, cum illae simplices formas dissolvere atque aliquo modo circumscribere soleant. Cum in priscae Latinitatis sermone multo plures simplices superlativi formae, quam circumlocutiones inve-

---

213) Pl. Most. 623. 214) comp. Pl. Cas. 274. Lucil. 1025.
215) Pl. Rud. 651. Lucil. 739. 217) Gehlhardt l. s. pag. 40 sq.
218) Fr. Skutsch. l. s. pag. 551.

niantur, postea haec consuetudo multum crevit; nam in libro, qui „Silviae vel potius Aetheriae peregrinatio ad loca sancta“ inscribitur, qui quarto post Christum natum saeculo confectus est, 50 quidem superlativi inveniuntur, sed 51^{ies} superlativi gradus adverbiis, quae vocabulis apposita sunt, formatus est. Quae consuetudo in linguis Romanensibus omnino observatur. Nonnullae modo superlativi formae conservatae sunt, quas infra considerabimus. Quae res ad varias rationes revocanda est. Primum autem cottidianus sermo, ut simplices superlativi formas compluribus verbis explicaret, adductus est, cum hac ratione planius atque dilucidius superlativi gradationem eloqui posset, quam formis simplicibus, quarum vis imprimis postea maxime debilitabatur. Quod ad propositum assequendum ea potissimum adverbia usurpabantur, quae quantitativam atque intensivam vim habebant. Haec autem adverbia, cum sine ullo animi affectu dicerentur, quamquam saepissime adhibebantur, vix debilitata et trita et diu conservata sunt. Atque partim etiam in linguis Romanensibus occurrunt. Aliter adverbia qualitativa! Illa numquam ita debilitata sunt, ut affirmandi modo vim haberent, sed semper eam, quam proprie indicabant, rationem conservaverunt. Atque propter hanc quidem rem adverbia qualitativa in cottidiano sermone maxime usurpari solebant, cum adverbiis, adiectivis participiisque apposita non ad illorum vim augendam et cumulandam valerent, sed etiam propter qualitatem, quam indicabant, apta essent, quae varios animi sensus ut ironiam, derisionem, facetias acerbas quam apertissime exprimerent. Haec autem adverbia non ut illa, quibus vis intensiva propria fuit, vulgo atque diu in usu fuerunt, sed perpetuam in iis vicissitudinem et mutationem et novationem intellegimus. Nullum adverbio ‚bene‘ excepto in linguis Romanensibus conservatum est.

Iam vero ad singula adverbia accuratius consideranda transimus.[219]) Si magnum numerum adverbiorum, quae in priscae Latinitatis sermone ad superlativi gradum efficien-

---

[219]) Hofmann. Umgangssprache. pag. 70—79. Woelfflin. Comparation. pag. 7—29. Meyer-Lübke. Grammatik d. Roman. Sprachen. III. Syntax. § 202.

dum usurpata sunt, oculis perlustramus, adverbia, quae intensivam modo vim habent, adverbia qualitativa numero quarto tanto superare intellegimus. Illorum autem primum locum ‚satis' obtinet, quod tertiam partem efficit. Adverbium quod omnibus temporibus saepe occurrit, etiam in posteriore Latinitate in usu est. In Silviae enim Peregrinatione ‚satis' cum ‚valde' plurimum scribitur. Atque etiam in linguis Romanensibus, quae ‚satis' conservaverunt, ital. ‚assai', fr. ‚assez', hispan. ‚asaz' (adsatis cf. § 11), adverbii ambiguus sensus cognoscitur. Cum hispan. ‚asaz' et ital. ‚assai' idem ac ‚multum' valeant, in nostrae aetatis lingua Francogallica ‚assez' id, quod sufficit, significat, in vetere sermone ancipitem significationem habuit.

Non minus saepe ‚nimis' atque ‚nimium' leguntur ac vi attenuata usurpata usque ad Augustini tempus vigent, qui in psalm. 118 dicit: „aliquando Latina lingua hoc verbo sic abutitur, ut ‚nimis' pro eo quod est ‚valde' et positum inveniamus in litteris sacris et ponamus in sermonibus nostris." [220]) Postea autem adverbium exolevit, cum linguae Romanenses non habeant. Cuius in locum ital. ‚troppo', fr. ‚trop', quod Germanicam radicem habet, successit.

Sequitur ‚sane', quod in vetere sermone locum adverbii ‚valde', quod semel occurrit (Pl. Pseud. 145.) explevisse verisimile est, quocum a Prisciano XV, 14. componitur. Non modo ‚sane', sed etiam ‚valde', quae diu in usu fuerunt, inferioribus temporibus interciderunt.

‚Multum', quod postea persaepe usurpatur, in prisca lingua in Plauti comoediis raro legitur. (semel in Enn. An. 625.) Quod adverbium in Romanensium linguarum usum receptum est. rum. ‚mult', ital. ‚multo', hisp. ‚muy', portug. ‚mui'; v. fr. ‚moult' postea exolevit. Nunc pro illo adverbio ‚bien' dicitur.

Adverbia ‚prime', ‚adprime', ‚cumprime', praecipue priscae Latinitatis propria sunt et postea nisi apud scriptores, qui veterem sermonem imitantur (velut Apuleius), non inveniuntur.

---

[220]) Woelfflin. pag. 25.

‚plane', ‚prorsus', ‚oppido', quae perraro occurrunt, Ciceronis aetate in frequentem usum venerunt.

‚admodum' atque ‚adeo' omnibus temporibus vulgo placuerunt. Quae adverbia linguae Romanenses non servaverunt.

‚vehementer' etsi a Cicerone et Sallustio vitatur, tamen ab omnibus, qui cottidiano sermone utuntur, usurpatur.[221])

‚quamvis', quo imprimis Plautus utitur, postea ut particula ‚vel' superlativis additur. (Tac. Hist. 2, 30. quamvis uberruma. Colum. 1, 3, 2. quamvis feracissimo.); ‚quamlibet', quod idem ac ‚quamvis' valet, non nisi apud poetas et posteriorum temporum scriptores legitur. (Lucr. 5, 1116. quamlubet et fortes et pulchro corpore creti. Augustin. ep. 43, 6. quamlibet numerosissimo.) [222])

Adverbiorum, quae cum intensivam tum qualitativam quandam vim habent, ‚bene' primum locum obtinet. Negativis enuntiationibus ‚bene' in vetere sermone numquam apponitur. Cuius modi primum exemplum in Querol. pag. 7, 1. ‚bene perfidus' exstat. (4./5. saec.) [223]) In lingua autem Francogallica, quae ‚bien' pro ‚moult', quod exolevit, adhibet, adverbium positivis atque negativis verbis apponitur. cf. bien malheureux.[224]) Grammatici nullam usus differentiam intellegunt. „bien marque l'extension, le degré, l'intensité." [225]) Qualitatis igitur notio temporibus procedentibus intercidisse videtur.

Nec minus saepe, quam ‚bene', in vetere sermone Latino adverbium ‚probe' adhibetur, quod cottidiani sermonis proprium est et praeter Plautum et Terentium nisi in inscriptionibus parietariis Pompeianis non legitur.

Cui adverbio non dissimilia sunt ‚lepide', ‚insanum', ‚misere', ‚pulchre', ‚firme', ‚graphice', ‚large', quae omnia a sermone populari orta solum apud Plautum atque ceteros comicos poetas occurrunt.

---

[221]) Hofmann. Umgangssprache. pag. 76. [222]) Kühner-Stegmann. Ausführl. Gramm. d. lat. Sprache. Hannover 1914². II. 2, pag. 445 sq. [223]) Hofmann. l. s., pag. 74. [224]) E. Littré. Dictionnaire de la langue française. I. pag. 339. Paris. 1863. [225]) E. Borel. Grammaire française. Stuttgart 1922. 23. pag. 456.

‚egregie' et ‚insignite', quae adverbia etiam in Ciceronis epistulis et in libris eorum, qui veterem sermonem imitantur, leguntur, sermonis, qui nobilium hominum ordini communis erat, propria fuisse videntur.

impense', quod etiam apud Gellium invenitur, dum populi imperii Romani Latina lingua utebantur, vitam traxit.

§ 9.

Sed iam aliam sermonis rationem consideremus. Exstant enim nonnulla exempla, in quibus adiectiva notionis augendae causa cum **‚multi'** et **‚omni'** composita sunt.

Pl. Bacch. 652. multipotens pectus — Pl. Cas. 841. Venus multipotens — Pl. Trin. 820. salsipotenti et multipotenti Jovis fratri. [Buecheler et Leo ‚mulsipotens' scribunt.] [226]) ‚multipotens' non nisi apud Plautum invenitur. Cuius loco alibi est ‚omnipotens' — Pl. Poen. 275. di immortales omnipotentes — Enn. An. 458. Jovis omnipotentis — Pl. Cist. 149. Curc. 77. multibiba — Cist. 149. Pseud. 794. multiloqua.

Quam in rem neque adiectiva ‚multigener' ‚multiplex' [227]), neque adverbia ‚multimodis', ‚omnimodis' faciunt, quae ‚multi-' et ‚omni-' ope non magis intensivam, sed expansivam vim habent. Haec autem adverbia, quae in libris et editionibus promiscue et composita et dissoluta (multis modis, omnibus modis) scripta sunt [228]), nonnumquam adiectivis gradationis causa apponuntur.

Pl. Most. 785. Ero servus multis modis fidus — Ter. Heaut. 320. multimodis iniurius — Pl. Bacch. 385. multimodis meditatus — Pl. Rud. 837. nequiter multis modis (Marx: πάνυ κακῶς) — Ter. Phor. 465. multimodis vituperandus.

In Pl. Pers. 706. ‚multimodis scriptum' nulla intensiva gradatio intellegitur, sed hic ‚multimodis scriptum' idem est ac ‚magna varietate scriptum'.

---

[226]) Ed. Fraenkel. Plautinisches im Plautus. (Phil. Unters. 28. Bd.) Berlin 1922, pag. 207. [227]) Pl. Capt. 159. Epid. 529. Stich. 383.

[228]) Fr. Leo. Plautinische Forschungen. Berlin 1912. 2. Aufl. pag. 325. Sonnenschein ad Rud. 837.

Pl. Aul. 462. Cas. 940. Rud. 290. omnibus modis miseri (Marx: πανάθλιοι) — Pl. Pseud. 1074. omnibus modis salvam.

Hanc autem dicendi consuetudinem Latini sermonis non propriam fuisse, sed ab Ennio poeta, qui Graecorum exempla sequebatur, novatam esse Leo et Fraenkel recte iudicant.[229] Atque in prisca Latinitate Ennio excepto illae compositae formae praecipue in Plauti fabulis occurrunt, modo in verbis ab epico dicendi genere non alienis, modo per ridiculum detortae. (Plaut. Bacch. 652.) Quae ratio eo probatur, quod illa consuetudo sermonis postea praeter ceteros apud Lucretium et Vergilium[230] et epicos poetas valet.[231] Tum autem in posteriore Latinitate patres ecclesiastici, quorum sermo etiam aliqua ex parte a Graecorum sermone pendet, illis formis abundant. Et eam dicendi consuetudinem numquam popularem fuisse postremum etiam ex linguis Romanensibus bene intellegi potest, in quibus illae compositae formae non conservatae sunt. Exempla autem, quae in nostrae aetatis Romanensium linguarum sermone inveniuntur, non a Latina lingua relicta, sed novata et hominum doctorum linguae communia sunt.[232]

§ 10.

Sequitur, ut inquiramus quantum in vetere sermone **geminatio** atque **figura etymologica** ad adiectivi et adverbii vim affirmandam et augendam adhibita sint. Et cum interiectionis et vocativi et imperativi geminatio in prisca Latinitate persaepe cognoscatur [Ter. Heaut. 348. Syre, Syre, inquam, heus, heus, Syre. Pl. Asin. 229. mane, mane! e. a.], geminatio intensiva, quae eo efficitur, quod gradationis causa adiectiva aut adverbia iterantur, ante imperatorum tempora in usu non fuisse videtur. (Petron. 37, 3. modo modo quid fuit.)[233] Haec autem loquendi consuetudo postea in

---

229) Fr. Leo. Geschichte der Röm. Literatur. Berlin 1913. I. Bd., pag. 183. E. Fraenkel. l. s. pag. 207. 230) Ed. Norden. Ennius und Vergilius. Berlin 1915. pag. 45. 231) Forcellini. l. s. II. pag. 115/17. 241/42. K. E. Georges. l. s. 232) A. Hemme. Das latein. Sprachmaterial im Wortschatz der deutschen, französischen und englischen Sprache. Lpz. 1904. pag. 546. 233) J. B. Hofmann. Umgangssprache, pag. 60.

patrum ecclesiasticorum sermone multum crescebat. At quanti momenti ad illorum sermonem Hebraica lingua, quae hac una ratione superlativum gradum formare potest, fuerit, recte Eduardus Woelfflin demonstrat.[234]) Ad eandem causam eundem posterioris Graeci sermonis usum[235]) revocandum esse putamus. Cur vero in Romanensibus linguis praecipue Italorum lingua illum usum conservaverit, nondum clare perspicuum est.

Illius autem loquendi rationis non dissimile est id figurae etymologicae genus, ubi gradationis causa adiectivo adverbium eiusdem originis apponitur. Haec consuetudo non nisi apud Plautum et Afranium invenitur.[236]) Ne Romanenses quidem linguae ab hoc usu abhorrent.[237])

Pl. Asin. 676. Cas. 854. Curc. 521. Rud. 425. bella belle. [καλὴ καλῶς. Aristoph. Acharn. 253.] — Pl. Rud. 977. impudenter impudens — Pl. Truc. 701. laete laetus. (Spengel, Ussing, Lindsay. Leo non probat) — Afran. com. 38. lentus lente — Pl. Curc. 462. lepidum lepide — Pl. Most. 911. longe longissumus — Pl. Cist. 689. Pseud. 13. misere miser — Asin. 616. [misere] miser (add. Goetz) — Pl. Aul. 314. parce parcum — Pl. Cas. 522. scite scitus — Pl. Asin. 208. Bacch. 207, 407. Stich. 12. Truc. 193. unice unus.

In Bacch. 694. doctum docte fallas — Mil. 258. docte tibi illam perdoctam dabo — Most. 187. stultam stulte facere — Rud. 1238. avidus poscit escam avariter — Amph. 278. optumo optume optumam operam das — adverbium non cum solo adiectivo, sed cum praedicato coniunctum est. Restat, ut exempla afferamus, in quibus adiectiva et adverbia non eiusdem originis sed vis et significationis coniunguntur.

Pl. Men. 1119. aeque par — Merc. 35. callide facundus — Epid. 141. celeriter calidus — Stich. 561. docte ver-

---

[234]) E. Woelfflin. Comparation. pag. 6. [235]) L. Radermacher. Neutestamentl. Grammatik. Tübingen 1925². § 68. A. Thumb. Handbuch der neugriech. Volkssprache. Straßburg 1910². § 69.

[236]) Stolz-Schmalz. 5. Aufl., pag. 826. [237]) F. Leiffholdt. Etymologische Figuren im Romanischen. Erlangen 1884.

sutus — Mil. 1015. firme fidus — Most. 495. inepte stultus — Epid. 551. inique iniurius — Aul. 188. perspicue palam — Trin. 1008. stultus pueriliter — Rud. 1234. sancte pius — Pseud. 1017. vorsute malus.[238])

§ 11.

Quibus omnibus expositis postremum alia consuetudo, cuius ope adiectiva et adverbia superlative dicuntur, consideranda est. Agitur enim de adiectivis et adverbiis, quae cum praepositionibus **‚per-, prae-, ad-, de-'** composita sunt. Praecipue autem ‚per-' adhibetur, ‚prae-' et ‚ad-' in veteris sermonis usu perraro occurrunt. Quae consuetudo cottidiani sermonis propria est et cum in comoediis tum in Ciceronis epistulis et primis orationibus invenitur.[239]) Praepositio ‚per-' illa ratione adhibita in nonnullarum linguarum Romanensium usum quidem recepta est,[240]) sed temporibus intercidit. Hodie ‚per' in lingua Francogallica chemicis vocabulis apponitur, quorum r e l a t i v i s u p e r l a t i v i[241]) gradum indicet: percarbure, percarburé; perchlorure, perchlorique.

Pl. Aul. 186. Men. 1141. Rud. 164. perbene[242]) — Ter. Ad. 702. perbenigne[243]) — Pl. Merc. 526. Most 673, 692, 764. perbonus[242]) — Ter. Phor. 558. percarus[244]) — Pl. Most. 663. Ter. Hec. 377. Lucil. 795. percitus[245]) — Ter. Hec. 504. percontumax — Pl. Mil. 258. Most. 279. Ter. Heaut. 361. perdoctus[246]) — Pl. Stich. 575. perdudum — Pl. Men. 893. Most. 621. Poen. 423. Acc. trag. 9. perfacile[247]) — Afran. co. 320. perfalsum — Ter. Ad. 567. perfortiter[248]) — Pl. Pers. 494. pergrandis — Pl. Pers. 843. Trin. 1139. pergraphicus — Ter. Heaut. 292. pergravis[249]) Pl. Truc. 656. periratus[250]) — Pl. Cas. 927. perlepidus[251]) — Ter. Heaut. 864. Phor. 815. perliberalis — Pl. Bacch.

---

[238]) cf. P. Gehlhardt. l. s. pag. 45. [239]) L. Laurand. Études sur le style des discours de Cicéron. Paris 1928³. pag. 271 sqq.

[240]) C. Nyrop. Grammaire historique de la langue française. Copenhague 1903. II. § 474. [241]) de vocabulo ‚relativus superlativus' cf. adn. 268. [242]) saepe. [243]) comp. Pl. Trin. 459. [244]) Pl. Pseud. 805. CIL. I 2, 1003, 1223, 1419. Ter. Eun. 927. [245]) Pl. Capt. 337. [246]) Pl. Poen. 1149. [247]) Pl. Trin. 630. [248]) Naev. c. frg. 43. Cato agr. 1, 4. Quadrig. hist. 85. [249]) Pl. Stich. 164. Ter. Ad. 468. [250]) Pl. Poen. 452. [251]) Pl. Mil. 788. Ter. Ad. 911.

1194. perlonginquus — Pl. Trin. 745. Ter. Eu. 609. perlonge[252]) — Pl. Trin. 780, 1041. perlubens[253]) — Ter. Heaut. 467. permagne[254]) — Pl. Epid. 375. permeditatus — Pl. Mil. 1224. permirus — Pl. Bacch. 320. Most. 86. CIL. I 2, 2186. permultus[255]) — Cosconius gram. 2. permulta — Pl. Poen. 1113 perniger — Ter. Ad. 393. pernimium — Afran. com. 154. perpalaestricos — Ter. Andr. 455. perparce — Pl. Truc. 1. perparvus[256]) — Ter. Eu. 409. Afran. com. 160. perpauci[257]) — Pl. Capt. 177. perpauxillus — Pl. Mil. 363. perproperus — Acc. praetext. 36. perpropinquam[258]) — Ter. Eu. 468. CIL. I 2, 2177. perpulcer[259]) — Pl. Bacch. 545. Rud. 672. Ter. Ad. 566. perquam (= und wie!) — Pl. Cas. 370. persaepe[260]) — Ter. Heaut. 771. persancte[261]) — Cato agr. 157, 15. persanas — Ter. Andr. 486. perscitus[262]) — Pl. frg. 138. Ly. Naev. com. 116: persibus [‚peracutum' significare videtur. Fest. pag. 217 M.] — Pl. Pers. 698. persimilis[263]) — Pl. Poen. 792. perspissus — Pacuv. trag. 302. pertimefactus.[264])

‚per-' particula aliquando a vocabulo affirmando separatur. Ter. Hec. 58. per pol quam paucos[257]) — Ter. Andr. 486. per ecastor scitus[262]) (cf.: per mihi, per inquam gratum feceris. Cic. Att. I 20.)

Pl. Mil. 1042. Lucil. 90, 1081, 1276. praeclarus[265]) — Pl. Poen. 1182. Acc. praetext. 37. trag. inc. 150 praepotens.

Liv. Andr. carm. fr. 10. adprimus. (Gell. VI 7, 11. = longe primus.) cf. § 8 A. h. — Caecil. com. 228. adprobus.[266]) (Gell. VI. 7, 9. adprobus, quod significat ‚valde probus') — Ter. Ad. 50. adsedulo. (in Bembino codice traditur.[267]) — cf. Pl. Trin. 1116. antepotens. (ἅπ. λεγ.)

---

[252]) Most. 911. Cato agr. 19, 2. [253]) Pl. Pseud. 1321. [254]) saepe. [255]) saepe [256]) saepe. [257]) Pl. Men. 6. [258]) saepe.

[259]) Liv. Andr. trag. 40. Pl. Stich. 737. Cato agr. 104, 2. Enn. An. 91. Ter. Phor. 869. Acc. praet. 38. Lucil. 564.

[260]) Pl. Men. 302. Cato agr. 61, 1. CIL. I 2, 364. [261]) Lucil. 170. CIL. I 2, 1406. [262]) Stich. 184. [263]) Pl. Asin. 215. Cato agr. 46, 1.

[264]) Terentii exemplorum collationes, quas P. Wahrmann, Wiener Studien 30. pag. 89, Hauler, l. s. pag. 74. fecerunt, lacunosae sunt.

[265]) Sisenna. hist. 136. comp. Pl. Curc. 379. [266]) Ter. Ad. 419. CIL. I 2. 1809. [267]) E. Hauler. W. St. 40. pag. 81 sqq.

‚de'- denique, quod in cottidiano sermone nonnumquam loci significatione perdita vim intensivam habet, cum verbis tum adiectivis et adverbiis affirmandi et augendi causa additur. Ter. Ad. 184 debacchatus — Lucil. 528. demagis — Pl. Bacch. 79. Capt. 62. Capt. 457. (add. Rs.). Most. 411. Stich. 721. Ter. Heaut. 673. Naev. trag. 7. Acc. trag. 367. Enn. com. 375. Caecil. com. 10. Afran. com. 101. Titin. com. 80. Quadrig. hist. 38. Lucil. 392. desubito.

Illa dicendi consuetudo etiam in posteriore Latinitate intellegitur et in nonnullis vocabulis linguarum Romanensium conservatur. cf. Apul. met. 1, 17. 24. Hier. psalt. sec. Hebr. 85, 11. deosculatus — Anthol. Lat. 284, 4. debrius; prov. hisp. demas, portug. demais < demagis. R.E.W. 2546. v. francogall. desoute < desubito. R.E.W. 2607. cf. frgl. assez etc. < adsatis. R.E.W. 199.

In Heaut. 361. Terentius non satis habuit vim adiectivi ‚docta' praepositione ‚per-' auxisse, sed etiam adverbium ‚probe' apposuit. ‚perdocta probe'. Quae res etiam Plauti propria est. Trin. 1139. nimis pergraphicus — similiter Trin. 931. nimium mirimodis mirabilis. — Most. 411. Stich. 721. quamvis desubito.

§ 12.

His igitur rationibus, quas exposuimus, participiorum, adiectivorum, adverbiorum superlativi gradus, cuius simplex forma variis ex causis a priscae Latinitatis scriptoribus persaepe evitabatur, expressus est. Quae consuetudo adverbiorum atque praepositionum ope vim augendi solum ad superlativum elativum[268]) pertinebat. Atque similem rem in priscae Latinitatis relativi superlativi usu cognoscimus. Hic autem superlativus ab elativo, cum unam communem formam habeant, difficillime distinguitur. Insuper etiam exempla, in quibus genitivo partitivo[269]) aut elocutionibus,

---

[268]) „Der Superlativ bezeichnet zunächst eine Hervorhebung des einzelnen, mit einer Eigenschaft behafteten Gegenstandes aus einer Reihe anderer mit der gleichen Eigenschaft behafteter; es kann damit also entweder der höchste Grad (qui gradus superlativus relativus dicitur) oder ein besonders hoher Grad ausgedrückt werden; in der letzteren Anwendung liegt ein ‚Elativus' vor." F. Sommer. Vergleichende Syntax der Schulsprachen. Lpz. 1921. pag. 39.

[269]) Ter. Andr. 453. quem . . . meorum aequalium potissumum.

quae praepositionum ope cum superlativo coniunctae sunt,[270]) superlativi relativus intellectus cognoscitur, pauca sunt. Plerumque igitur restat, ut accurata singulorum exemplorum interpretatione, quid singuli superlativi valeant, intellegere studeamus. Omnibus autem superlativi formis illa ratione consideratis superlativum elativum numero relativum superlativum maxime in vetere sermone superare apparet. Cato solus ex omnibus excipiendus est. Nec minus vero quam elativum superlativum relativum superlativum non modo quam maxime perspicuum reddere, sed etiam illius gradum affirmare atque augere priscis scriptoribus necessarium videbatur.

Illa autem ratio, quam postea sequebantur linguae Romanenses, quae hac quoque in re simplices formas dissolvebant et relativum superlativum similiter atque elativum exprimebant, in priscae Latinitatis sermone non est. Quoniam igitur sola simplex superlativi forma erat, alio modo relativi superlativi notio erat augenda.

Et quidem saepe ablativo mensurae **„multo"** ille amplificatur.

Acc. trag. 316. multo acerrimum — Ter. Heaut. 842. multo fortunatissimum — Pl. Amph. 994. Aul. 667. Stich. 164. Ter. Andr. 526. Hec. 160. Pall. inc. 64. multo maximus — Pl. fr. 25. Ly. Aquil. com. 5. Lucil. 151, 973. multo optimus — Pl. Amph. 782. Truc. 80. multo pessumus — Lucil. 1368. multo purissimus — Pl. Stich. 123. multo sapientissumus. — Ter. Eu. 253. multo uberrimus.

Atque eadem ratione adverbia **‚longe'**, **‚adeo'**, **‚vel'**, **‚adprime'**, **‚oppido'** superlativo apponuntur. Qui usus nonnumquam superlativos, qui elativam vim habent, amplectitur; scilicet eadem positivo apponi supra cognovimus.

Pl. Most. 911. longe longissuma — En. An. 91. longe pulcherrima — Pl. Most. 280. maxuma adeo — Ter. Hec. 220. minime adeo — Ter. Heaut. 113. postremo adeo — C. Gracch. in Gell. 11, 10. vel acerrimi — Lucil. 803. vel bellissimum — Acc. carm. frg. 6. vel maxime —

[270]) Pl. Poen. 1203. e multis maxumumst.

Quadrig. hist. 15. adprime summo — Pl. Rud. 207. summae oppido.

§ 13.

Eandem gradationem numerus ‚**unus**' superlativo appositus efficit.

Pl. Asin. 521. unam audacissumam — Capt. 278. unum pollens atque honoratissumum — Pl. Mil. 56. unum invictissumum — Poen. 226. maxumo uni — Pl. Amph. 677. unam optumam — Lucil. 151. optumus, qui fuit unus — Lucil. 564. pulcherrimus unus — Pl. Most. 983. unus sacerrumus — Pl. Merc. 206. unum verissumum — Pl. Truc. 250. unus violentissumus.

§ 14.

Praeterea qualitate atque quantitate nominis, quod rerum universitatem indicat, ex qua superlativus relativus eminet, quod aut praepositione cum superlativo coniunctum est, aut genitivo partitivo superlativo applicatur, superlativi vis affirmatur et augetur. Ad quam rem nomina ‚**homines**' et ‚**omnes**' aptissima sunt et a Plauto et priscae Latinitatis scriptoribus saepe usurpata sunt. Quae consuetudo non valet nisi homines aguntur. Nec raro, cum sermo etiam maiorem abundantiam desideraret, ‚multo' aut ‚unus' insuper addita sunt.

Pl. Pers. 778. miserrumus hominum — Pl. Capt. 333. optumus hominum — Pl. Pseud. 351. hominum periurissume — Pl. Stich. 483. Ter. Andr. 629. hominum pessumus — Pl. Rud. 706. hominum sacrilegissume — Ter. Ad. 218. hominum homo stultissume.

Pl. Rud. 70. Cato agr. 157, 2. omnium acerrumum — Pl. Asin. 314. omnium dignissumi — Ter. Phor. 290. omnium immeritissumo — Pl. Truc. 591. omnium maxumum — Enn. praetext. 1. omnium miserrimus — Pl. Cas. 694. omnium occisissumus — Pl. Amph. 677. omnium optumam — Pl. Aul. 723. perditissumus omnium.

Pl. Most. 340. amicissume omnium hominum — Pl. Epid. 502. Mil. 558. omnium hominum minimi preti — Ter.

Phor. 853. omnium hominum homo ornatissume — Pl. Truc. 590. plurumum omnium hominum — Pl. Most. 593. omnium hominum taeterrume.

Caecil. Stat. com. 244. ante omnes lautissime — Pl. Asin. 858. ante omnes minimi preti — Pl. Most. 337. ex omnibus optume.

Ter. Heaut. 842. multo omnium fortunatissumum — Pl. Asin. 922. omnium (unus Leo) nequissumus — Pl. Amph. 677. omnium unam optumam — Pl. frg. 25. Ly. Aquil. com. 5. multo omnium optumum — Lucil. 151. optumus multo, qui fuit unus — Pl. Most. 911. longe omnium longissuma.

Hoc loco etiam consideranda sunt exempla, quorum superlativi ex eiusdem verbi positivis eminent, qua ratione superlativi vis maxime augetur. At modum quasi excedit sermo comicorum, cum etiam genitivi partitivi superlative dicuntur. Illa vero dicendi consuetudo cottidiano sermoni propria est, qui magis magisque maiorem exsuperationem appetit. Qui usus etiam in Graecorum sermone occurrit.[271])

CIL. I 2, 9. duonoro optumo — Pl. Trin. 94. ex certis certissumus — Pl. Men. 817. miserorum miserrumus — Pl. Aul. 227. pauperum pauperrumum.

Pl. Stich. 493. ego infimatis infumus — Pl. Capt. 836. hominum optumorum optume — Pl. Cas. 793. Naev. com. 118. pessumorum pessume — Pl. Truc. 25. summa summarum. Atque eodem consilio Plautus hac dictione utitur: Pers. 475. civitatem maxumam maiorem feci — Amph. 907. stultior stultissumo. (ital. più che certissimo.)[272])

§ 15.

‚Plerique‘ et **‚plerumque‘** adverbium, quae nonnumquam pro superlativo relativo ‚plurumi‘ et ‚plurumum‘ ponuntur (Pl. Curc. 377; Epid. 166 a, 216; Rud. 1237; Ter. Andr. 193; Eu. 118. etc.), interdum syllabam ‚que‘ omittunt.[273]) Sempron. Asell. hist. 3. ut fieri solet plerum — Cato orig. 7. ager

---

[271]) Stolz-Schmalz. 5. Aufl. pag. 390. Brugmann-Thumb. Griech. Grammatik. München 1913. 4. Aufl. pag. 449.
[272]) L. Spitzer. Italienische Umgangssprache. Bonn/Lpz. 1922. pag. 184. A. 1. [273]) Prisc. V. 64, 65.

campestris plerus — Pacuv. trag. 136. pater Achivos pleros perdidit — Pacuv. trag. 320. plera pars pessum datur. Atque notionis vis in vetere sermone vocabuli ‚omnes' ope nonnumquam augetur.[274]) ‚plerique omnes': Pl. Trin. 29. Truc. 145. Ter. Andr. 55. Heaut. 830. Phor. 172. Naev. car. frg. 54.

§ 16.

Proximum est, ut aliam veteris sermonis consuetudinem consideremus, qua superlativi vis augetur. Adverbia enim **‚quam'** et **‚quantum'** adduntur.

a.

Atque quaestionis exordium capiendum est a particulis ‚tam-quam', quae in nostra lingua „in gleichem Maße das eine, wie das andere" significant. In vetere sermone adiectiva et adverbia, cum quibus illae particulae consociatae sunt, vulgo superlative dicuntur, cum in aurea et argentea Latinitate id evitetur.[275]) Sed etiam in vetere sermone simplices formae occurrunt, quas enumerare omittimus.[276]) Nos quidem superlativos cognoscere satis habemus.

Superlativus in utroque membro est.

Pl. Aul. 236. quam proxume te adiunxeris, tam optumumst — Pl. Truc. 171. quam primum expugnari potis (est), tam id optumum est amicae — Pl. Truc. 173. quam veterrumus, tam homini optumust amicus — Ter. Heaut. 977. quam maxume huic vana haec suspicio erit, tam facillume pacem conficiet — Ter. Ad. 501 sq. quam vos facillime agit, quam estis maxume potentes, dites, fortunati, nobiles, tam maxume vos aequo animo aequa noscere oportet — Cato agr. 64, 2. quam diutissime . . . erit, tam deterrimum erit — Cato agr. 65, 1. quam acerbissima olea oleum facies, tam oleum optumum est — Cato agr. 157, 8. quam plurimum ederit, tam citissime sanus fiet — Cato inc. 5. veternosus quam plurimum bibit, tam maxime sitit. simi-

[274]) Hauler. Phormio ad v. 172; Donat. Ter. Andr. 55; Stolz-Schmalz. 5. Aufl. pag. 826. [275]) Stolz-Schmalz. 5. Aufl. pag. 728; pag. 826. [276]) C. E. Bennett. Syntax of early Latin. Boston 1910. I. pag. 115 sq. exempla affert.

liter: Cato agr. 131. uti quaeque gravissima et aquosissima erunt, ita postremo arato. Sext. Turpil. com. 142.

In priore membro superlativus, in posteriore supplendus est.

Pl. Capt. 352. quam citissime potest, tam hoc cedere ad factum volo.

Prius adiectivum supplendum, tum superlativus est.

Pl. Merc. 122. quam restito, tam maxume res in periclo vortitur — Pl. Mil. 781. quam potis, tam verba confer maxume ad compendium.

b.

Saepe particula demonstrativa ‚tam' omissa ‚quam' cum superlativo legitur.

Pl. Capt. 900. cura, quam optume potes — Pl. Men. 6. quam potero in verba conferam paucissuma — Pl. Men. 834. Concede huc ab istoc quam potest longissume — Pl. Mil. 787. sic consucidam, quam lepidissumam potis quamque adulescentem maxume — Sisenna 126. quam maxime celatim poterat.

Cuius usus non dissimilis est haec verborum constructio: Capt. 836. quantum est hominum optumorum optume! — Pl. Bacch. 1170. Senex optume, quantumst in terra — Pl. Poe. 90. homo, quantum hominum terra sustinet sacerrumo — Pl. Pseud. 351. Quid ais, quantum terra tegit hominum periurissume? — Pl. Rud. 706. natum, quantum est hominum sacrilegissume.

c.

Plerumque particula ‚quam' sola superlativo apponitur, cui usui praeter ceteros Cato indulget. Posterioris autem Latinitatis consuetudo ad augendam notionis vim ‚quam' simplicibus adiectivis et adverbiis addendi in vetere sermone non invenitur. ‚Quam' simplici adiectivo non apponitur nisi in exclamatione.[277])

Pl. Aul. 384. quam minimo sumptu filiam ut nuptum darem — Cato agr. 1, 5. quam minimi instrumenti sumptuosus —

[277]) Stolz-Schmalz. 5. Aufl. pag. 462; Pl. Asin. 581. Ter. Andr. 136. Eu. 178.

agr. 8, 2. itaque conserat, uti quam sollertissimum habeat — agr. 7, 4. alia genera quam plurima serito aut inserito. Ter. Ad. 813. 868. 926. Eu. 2. 75. Heaut. 368. 788. 867. Hec. 51. Acc. car. frg. 5. Cato agr. 9,1. 19,1. 28,1. 28,2. 30,1. 33,2 (bis). 34,1. 35,1 (bis). 38,2 (bis). 38,3 (bis). 40,2. 46,1 (bis). 58,1 (bis). 61,2. 64,1 (bis). 66,1 (ter) 76,3. 95,2. 107,1 (bis). 128,1. 129,1. 143,1. 161,4.

d.

Hoc loco commemoranda est locutio „nunc cum maxime" „tum cum maxime", quae ex particularum comparativarum compositione ‚ita — ut cum maxime' orta est: atque ‚ita' Ciceronis aetate saepe[278]), in vetere sermone numquam additur; etiam ‚ut' perraro ponitur; ‚nunc' aut ‚tum' addi fere solent. Totam autem sententiam germanice ita explicare licet: „jetzt (damals) so, wie es dann zu sein pflegt, wann es am allermeisten geschieht."[279]) „gerade jetzt besonders".

Ter. Hec. 115. hanc Bacchidem amabat ut cum maxume [scil. amabat] tum Pamphilus — Cato or 2, 15. perge istuc quoque uti quam maxime delere — Pl. Mil. 1153. nunc cum maxume opust dolis — Ter Andr. 823. immo enim nunc quom maxume abs te postulo atque oro — Ter. Phor. 204. opus est nunc cum maxume ut sis — Ter. Ad. 518. nunc quom maxume operis aliquid facere credo.

Atque sequitur, ut constructionem „quisque cum superlativo" consideremus, quae ad maiorem et ampliorem verborum compositionem revocatur „ut quisque cum superlativo — ita cum superlativo". Cuius sermonis iam in prisca Latinitate exempla exstant.

Sext. Turpil. com. 142. ut quisque minimo contentus fuit, ita fortunatam vitam vixit maxime — Cato agr. 131. uti quaeque gravissima et aquosissima erunt, ita postremo arato — Cato agr. 34,1. ubi locus quisque frigidissimus et aquosissimus erit — Pl. Most. 155. optumi quique expetebant a me doctrinam sibi.

---

[278]) R. Kühner-Stegmann. Ausführliche Grammatik der Latein. Sprache. Hannover. 1912/14. 2. Auflage. II 2. pag. 480.
[279]) A. Spengel ad Ter. Andr. v. 823.

Sed cum posterioris Latinitatis consuetudo ‚quisque' et superlativum appositum pluraliter non dicere soleat, in vetere sermone bis occurrit. [Pl. Most. 155. Cato agr. 131.] Adiectivi positivus gradus pronomini ‚quisque' numquam additur.

§ 17.

Postremum autem cottidiani sermonis, qui tantam copiam in vi adiectivorum augenda ostendit, unam mire compositam superlativi formam afferimus.

C. Gracchus ap. Gell. 15, 12. omnium nationum p o s t r e m i s s u m u m.

Atque eadem dicendi proprietas, in qua oratoris 'ἅπαξ εἰρημένον' deprehendi putaveris, cum in posteriore Latinitate (Apul. ap. 98 postremissumis)[280]) tum in hodierna lingua Italorum saepe cognoscitur, velut ‚ultimissime' = letzte Nachrichten, intimissimo sim.[281]) Idem etiam in posteriore Graeco sermone occurrit.[282]) Quae formae non comici effectus causa formatae sunt, sed, cum simplices superlativi formae paulatim debilitarentur et propriam superlativi vim perderent, necessariae videbantur.

§ 18.

At ex multis exemplis consideratis, in quibus aut simplices superlativi formae dissolvebantur et superlativi gradus alia ratione exprimebatur, aut simplicium superlativi formarum vis vario modo augebatur, minime effici licet simplices formas superlativi propriam vim quasi perdidisse. Etiamsi enim debilitatam esse vix negari potest, tamen maxime cum variationis atque perspicuitatis causa, tum quod cottidiano sermoni, qui ad summam superlationem inclinare solet, simplex gradatio non sufficit, illa res in veteris sermonis usum venit. Atque in posteriore Latinitate superlativi simplicem formam maxime tritam et debilitatam esse ex eo cognoscimus, quod superlativi et positivi vulgo et promiscue iunguntur.[283]) Cuius consuetudinis cum etiam in vetere

---

[280]) M. Leky. De syntaxi Apuleiana. Diss. Münster 1908. p. 66; Stolz-Schmalz. 5. Aufl. p. 464. [281]) Leo Spitzer. l. s. pag. 184.

[282]) Ludwig Radermacher. Neutestamentl. Grammatik. Tübingen 1925². pag. 70. [283]) Stolz-Schmalz ⁵. pag. 465.

sermone exempla exstent, fueritne iam his temporibus illa superlativi debilitatio quaerendum est. Quibus in exemplis quoniam superlativus positivum sequitur, propriam vim sine dubio habet et, ut sententiae gradationem efficiat, ponitur.

Pl. Capt. 278. unum pollens atque honoratissumum — Pl. Cist. 512. di deaeque, superi atque inferi et medioxumi — Pl. Rud. 1321. miserum verbum et pessumum — Ter. Phor. 226. iustam illam causam, vincibilem, optumam — Lucil. 616. tuam probatam mi et expectatam maxume adulescentiam — Lucil. 476. ipse ecus, non formonsus, gradarius, optimus — In hoc versu „gradarius" fortasse pro substantivo est — ‚gradarius optumus'.

Sed etiam quibus in exemplis superlativus primo loco aut inter duos positivos invenitur, superlativi vis minime minuta videtur.

Pl. Capt. 769. maximas opimitates opiparasque offers mihi — Acc. praet. 26. resupinum in caelo contueri maximum mirificum facinus — Cato ad fil. 1. vincam nequissimum et indocile esse genus illorum — Lucil. 733. ‚ardum, miserrimum atque infelix lignum' sabucum vocat. In hoc versu Fredericus Leo, cui superlativus ‚miserrimum' displiceret, codicem Florentinum secutus ‚miserinum' posuit, qua coniectura metrum versus politius reddit.[284]) Nos autem, ut praetermittamus illud verbum ‚miserinum' primum in posterioris imperatoriae aetatis declamationibus et apud Apuleium occurrere [285]), quod ‚miserrimum' propter superlativi gradum repudiandum sit, nihil habemus, cum in illis verbis, quae animi impetu dicta tragicum colorem habent, sententiae gradationem intellegi putemus: ‚ardum — miserrimum — atque infelix'. Sententiae enim gravitas in verbo ‚miserrimum' posita est, quam ob rem superlative dicitur. Atque positivus ‚infelix' adscensum sententiae non delet, quod particula ‚atque' maius aliquid addi significatur. Positivi ergo ‚infelix' in vetere sermone tantam vim fuisse, ut superlativo verbi ‚miser', quod tragici sermonis crebro usu maxime

---

[284]) G. Schreiber. De Lucili syntaxi. Diss. Breslau. 1917. pag. 28; cf. F. Marx. Lucilii Carminum Reliquiae, Lpz. 1905. II. pag. 263.

[285]) G. Lehnert. A. L. L. XIV. pag. 210.

terebatur atque debilitabatur, vi minime cederet, verisimile est. Similem quidem rem invenimus in CIL. I 2, 1270. iucunda sueis, gratissima amicis, omnibus officiosa. Cuius sententiae gradationi ‚sueis — amicis — omnibus' illa adiectivorum ‚iucunda — gratissima — officiosa' non congruit. Quamquam, nisi inscriptionis scriptor metri gratia superlativum scripsit, cur id fecerit, nescimus, tamen superlativum propterea debilitatum esse et eandem vim ac positivum habere concludi non licet.

§ 19.

Atque ad aliam quaestionis rationem inductus sum superlativi formas considerans, quae in priscis linguis Romanensibus conservatae sunt et omni superlativi vi sublata pro positivo scribebantur.

latinum.	francogall.	prov.	ital.	hisp.	portug.	R.E.W.[286]
maximus.	maisme.	—	massimo.	májimo.	maximo.*	5446
minimus.	merme.	—	menomo.	mínimo.*	minimo.*	5587
optimus.	—	—	ottimo[287].	óptimo.*	optimo.*	—
pessimus.	pesme.	pesme.	pessimo.	pésimo.*	pessimo.*	6440
summus.	som.	som.	sommo.	somo.	—	8454
proximus.	prueisme.	proisme.	prossimo.	prójimo,	proximo.	6795
extremus.	—	estrem.	stremo.	—	—	3103
intimus.	in nonnullis Italiae dialectis conservatum est					4503
postremus.	Hispaniae dialectis proprium fuit.					6694

Superlativi, qui asteriscum habent, sermonis, quo in scriptis utuntur, proprii sunt.[287])

Ceteri autem superlativi, qui in novis linguis Romanensibus occurrunt, per analogiam linguae Latinae posterioribus temporibus formati elativam vim habent.

Si illas superlativi formas perlustramus, eas conservatas esse bene intellegimus, quae superlativum gradum non satis expressum gerebant, ut superlativi facile cum positivis, quorum ad vim sensim et pedetemptim deprimebantur, confundi atque misceri possent. Qui usus re vera in posterioris Latinitatis sermone non raro invenitur.[288]) Praeterea adiectivorum copia considerata ea vocabula conservata cogno-

---

286) W. Meyer-Lübke. Roman. etymolog. Wörterbuch. Heidelberg 1911. 287) W. Meyer-Lübke. Grammatik der Roman. Sprachen. Lpz. 1894. II. pag. 86. 288) Stolz-Schmalz. 5. Aufl. pag. 465.

scimus, quibus in cottidiano sermone saepe ac temere utimur, quae nihil proprium aut singulare significant. Quae res quantopere effecerit, ut illorum superlativi debilitarentur, infra disputabimus. Sed redeamus ad priscae Latinitatis sermonem et inquiramus, num illorum adiectivorum, quorum rationem habemus, superlativi iam in Romanensem usum spectent. Quibus omnibus superlativis formis excussis superlativos minime tritos neque debilitatos esse cognoscimus, quae res praecipue ex eo intellegitur, quod in sententiis cum animi ardore atque impetu enuntiatis, quibus augendi minuendive causa superlatio et traiectio propriae sunt, illorum nullius ponderis adiectivorum superlativi non minus saepe quam ceterorum superlativi occurrunt. Illorum etiam exempla, in quibus simplices superlativae formae dissolutae sunt et superlatio alio modo expressa est, perraro inveniuntur.

Atque solum **‚proximus'** et **‚postremus'** partim excipienda sunt. Superlativus ‚proximus' enim, cum loci distantiam notat, omnino non superlativam vim habere videtur, sed idem fere valet, quod positivus ‚propinquus'. Persaepe superlativo aliquod definitivum loci adverbium additur [hinc, hic, huc, sim.]

Pl. Asin. 53. filius, quod amat meus istanc meretricem e proxumo — Pl. Aul. 171. nostin hunc senem ex proxumo pauperculum? — Pl. Aul. 403. sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo? — Pl. Cas. 145. ego huc transeo in proxumum ad meam vicinam — Pl. Asin. 776. Aul. 31. 290. 400. Bacch. 205. Cas. 163. 538. 687. 752. Cist. 100. 752. Curc. 278. Epid. 68. Men. 790. Merc. 475. Mil. 134, 264. 273. 287. 301. 319. 366. 385. 410. 472. 969. 1136. Most. 663. 668. 977. 1062. Pseud. 895. 1258. Rud. 34, 404. Stich. 431. 612. Ter. Eu. 612. Heaut. 54. 732. 966. Phor. 890. Hec. 124. 341. CIL. I 2. 1847. CIL. IX. 4922. [Diehl. 472.] ‚Propinquus' autem illa ratione vix adhibetur. Pl. Truc. 499. vide quis loquitur tam propinque.

At superlativo ‚proxumus', cum temporis notio est, vera superlativi vis semper inest.

Pl. Merc. 227. nocte hac, quae praeteriit proxuma — Pl. Amph. 548. Rud. 84, 331, 560, 596, 1307. Ter Eu. 332.

Cato or. 19,7. Cato agr. 37,4. CIL. I 2, 582, 16, 23. 583 D 14. 585, C 4, D 12, D 14, D 35. 590, 8, 24. 593, 25, 145, 160. 594, 4,10, 5,28.

Nec minus, cum in iudiciorum dicendi genere ‚proxumus' vocabulo ‚cognatus' apponitur, superlativae formae semper superlativi relativi vis inest. Atque ita rem se habere non modo Graecis verbis, quae Terentius Phorm. 125. Latine reddidit: „τὸν ἔγχιστα γένους"[289]), sed etiam Terentii versu Phor. 295 „verum si cognata est maxime" comprobatur. Illa autem consuetudo a Prisciano commemorata, qui ‚proximus' superlativum, cum pro cognato accipiatur, positivi significationem habere dicit (Prisc. I. p. 94. H), in priscae Latinitatis sermone non valet.

Ter. Ad. 651. hic meus amicus illi genere est proxumus. huic leges cogunt nubere hanc — Phor. 125. 416. Ad. 947. Cato orig. 77. cf. Quadrig. hist. 19. ubi rescierunt propinqui obsidum.

Quibus in exemplis praeterea ‚proxumus' occurrit, semper superlativam vim habet.

Pl. Asin. 776. cum surgat, neque [cum] in lectum inscendat proxumum — Pl. Curc. 53. flamma fumo est proxuma — Pl. Pseud. 960. hoc est sextum a porta proxumum angiportum. sim.

Atque superlativus ‚postremus', qui plerumque idem atque ‚ultumus' significat, (Merc. 831. hunc hodie postremum extollo mea domo patria pedem. As. 49. 238. Aul. 657, aliaque. cf. Lodge. Lex. Plaut. II. pag. 353.), nonnumquam superlativam notionem perdidit atque adverbii ‚denique' vim habet.

Cas. 609. di te perdant postremo quidem! Pl. Bacch. 533. Epid. 708. Men. arg. 10. Merc. 558. Mil. 1204. Poen. 1369. aliaque. Illud autem Gracchi ‚postremissumum' (Gell. 15, 12) minime superlativi vim debilitatam indicat, sed ab oratore, qui magno animi impetu commotus summam gradationem appetivit, formatum est.

Quibus breviter expositis conservatas illas in linguis Romanensibus superlativi formas in priscae Latinitatis ser-

---

289) Diod. Sic. XII. 18, 2. 3. — Meier-Schömann-Lipsius. Der attische Prozeß. Berlin 1883—87². pag. 614 sq. Hauler ad Phorm. v. 125.

mone omnino nondum debilitatas esse neque vim superlativi propriam perdidisse satis intellegitur.

Alia autem res memorabilis hoc loco afferenda est. Illorum enim de quibus dicimus superlativorum numerus omnino multo maior est quam eorum adiectivorum, quae subtiliorem significationem habent.

	max.	min.	opt.	pess.	sum.	prox.	extr.	int.	postr.	supr	inf.	plur.
Plautus . .	172	50	152	63	89	61	1	4	38	12	9	42
Terentius .	72	32	26	5	21	15	1	3	19	1	1	9
Comici . . .	7	4	5	7	6	1	1	—	3	1	—	1
Tragici . .	7	1	7	1	27	—	1	—	4	5	—	—
Lucilius . .	6	1	5	1	12	—	—	—	2	—	—	1
Ennius . . . (scen. except.)	9	—	4	—	14	—	—	—	2	3	1	1
Cato	31(21)[1]	15 (14)	22 (17)	—	17 (15)	4 (1)	(1)	—	7 (5)	1	(6)	8 (7)
Hist frgm. (Cat. except.)	8	1	2	—	5	1	—	—	—	—	—	1
Poet. frgm.	2	—	1	2	6	—	—	—	1	2	—	3
Gram. frgm.	1	1	—	—	1	—	—	1	—	—	—	1
Orat. frgm.	11	1	6	1	4	—	—	—	—	—	—	1
(Cat. except.)												1
Inscriptiones. . .	66[2] 20	2	10	—	3	19	2	—	1	4	4	2

[1] Numeri qui uncis includuntur, exempla, quae in Catonis libro de agricultura scripto occurrunt, indicant.

[2] In CIL I 1. „maximus" semper cognomen est.

Componamus illorum superlativorum numerum cum omnibus superlativis ceterorum adiectivorum, quibus subtilior vis inest:

Plautus: 693 : 225 — Terentius: 205 : 53 — Comici: 36 : 11 — Tragici: 53 : 12 — Lucilius: 28 : 10 — Ennius: 34 : 5. [scen. except.] — Cato: 112 (87) : 65 (45) — hist. frgm: 18 : 12 — poet. frgm: 17 : 8 — gram. frg: 5 : 3 — orat. frg: 24 : 16 — inscript. 67 : 9 [deest ‚maximus' 66^{ies} pro cognomine usurpatum].

Superlativorum ordo.

maximus: 346 [desunt exempla, quae in CIL. I 1 inveniuntur] — optimus: 240 — summus: 205 — minimus: 108 — proximus: 101 — pessimus: 80 — post-

remus: 77 — plurimus: 70 — supremus: 29 — infimus: 21 — intimus: 8 — extremus: 7.

Horum igitur omnium summa est 1292, ceterorum superlativorum 429. Quos si numeros comparamus, illa adiectiva, quibus nullum pondus inest, in vetere sermone ab omnibus scriptoribus longe plerumque superlative dici cognoscimus. Qui creber usus eo efficitur, quod illorum superlativorum adiectiva, cum nihil proprii significarent, cottidiano sermoni, ex quo omnes priscae Latinitatis scriptores plus minusve suum orationis genus formaverunt, maxime placebat. „Allen Umgangssprachen, namentlich der unteren Schichten, eigen ist eine typische Denkträgheit, die jeder Anstrengung, klare und scharfe, der jeweiligen Situation entsprechende Ausdrücke zu finden, aus dem Wege geht und sich mit einer indifferenten, für alle möglichen Verhältnisse passenden und erst durch den ganzen Zusammenhang näher präzisierten Bezeichnung begnügt." [290]) Illorum igitur adiectivorum positivum crebro usu facile debilitatum atque detritum esse minime mirum est. Sed cum vetus sermo illorum notionem neque adverbiorum neque syllabae ‚per-' ope affirmare vellet, quae consuetudo eo fortasse efficiebatur, quod haec aliqua ex parte semper quandam qualitatem conservabant, ut non apta essent, quae illis adiectivis apponerentur, nihil restabat, nisi ut ad hoc assequendum ad simplicem superlativam formam confugerent. Cicero quidem imprimis syllaba ‚per-' utebatur.[291]) Quibus superlativis positivi multorum adiectivorum, quae maius pondus habebant, minime cedebant, id quod exemplis probatur, in quibus superlativi cum positivis coniuncti sunt (§ 17). Nec tamen superlativa notio omnino sublata est, immo cum ceteris inferior esset, augere eam maxime studebant. Itaque in veteris sermonis exemplis, in quibus superlativi vis vario modo affirmabatur atque augebatur, praeter ceteros illorum adiectivorum superlativi inveniuntur (§ 11, § 15). Hic veteris sermonis status fuit. Et ad eandem sortem, quae illorum

---

[290]) J. B. Hofmann. Umgangssprache. pag. 165. O. Weise. Charakteristik der latein. Sprache. Lpz. 1904⁴. pag. 123.

[291]) L. Laurand. Études sur le style de Cicéron. Paris 1928³. pag. 271 sq.

adiectivorum positivo acciderat, etiam superlativus vocabatur. Creberrimo enim usu magis magisque paulatim debilitabatur, ut ad extremum superlativam vim perderet et idem ac positvus valeret. Quo accedebat, ut illa adiectiva superlativum gradum non satis expressum gererent, ut facile cum positivo confunderetur. Atque rem eo pervenisse et posterioris Latinitatis scriptores, qui illos superlativos comparative superlativeque dicere non dubitant (§ 16), et linguae Romanenses, in quibus illis superlativis nihil nisi positiva vis inest, probant. Idem etiam cum posterioris linguae Graecae tum Neograeci cottidiani sermonis proprium fuit. Quo in sermone eorundem adiectivorum superlativi vim non plane perdiderunt, sed elativi sunt.[292])

§ 20.

Quibus expositis ut de comparativo pro superlativo adhibito agamus, restat. In linguis autem Romanensibus, cum relativus superlativus exprimebatur, superlativi formam semper evitatam esse omnibus notum est. Ad comparativum enim recurrebatur, cui postea articulus definitivus appositus est.[293]) In cottidiano enim sermone comparativus non modo, quod eius popria notio est, duas res aut duas personas comparari, sed etiam unam rem aut unam personam cum compluribus aliis componi indicat. Quae consuetudo etiam in Graecorum [292]) et Germanorum [294]) sermonibus intellegitur. [ἀμείνων ἁπάντων; s Resl is de allerschöner!] Sed quomodo sermo Latinus se habet? In posteriore Latinitate comparativus saepe pro superlativo adhibebatur.[295]) Et glossarii scriptor, quod „Reichenauer Glossar" inscribitur, verbum ‚optimos' per ‚meliores' explicavit [296]), qua ex re bene intellegitur VIII. saeculo hunc gradum magis in usu fuisse, illum autem ex usu cottidiani sermonis iam diu intercidisse. At id in prisca Latinitate raro invenitur.

---

[292]) L. Radermacher. l. s. pag. 67/70. Blass-Debrunner. Grammatik des neutestam. Griechisch. Gött. 1921.[5] pag. 35/37. A. Thumb. Handbuch der neugriech. Volkssprache. Straßburg 1910.[2] pag. 69.

[293]) C. Nyrop. Grammaire historique de la langue française. Copenhague 1903. II. pag. 319/320.

[294]) O. Behaghel. Deutsche Syntax. Heidelberg 1923. I. pag. 227/28.

[295]) E. Woelfflin. Comparation. pag. 68 sq.

[296]) Fr. Diez. Altromanische Glossare. Bonn. 1865. pag. 59. n. 245.

Enn. trag. 41. mater, optumarum multo mulier melior mulierum — Pl. Amph. 1133 34. Mitte omnes, . . . multo adeo melius quam illi.

Constructio autem ,melius est' cum infinitivo, quam Plautus illi ,optumum est' cum infinitivo multum praeponit [30 : 3 (Asin. 908. Capt. 557. Truc. 626)] [297]) nonnumquam comparativam vim non habet, sed idem atque ,optumum est' valet.

Pl. Asin. 249. Hercle vero, Libane, nunc te meliust expergiscier atque argento comparando fingere fallaciam — Pl. Bacch. 76. heia, hoc agere meliust — Most. 1068. Nunc te videre meliust quid agas, Tranio — Men. 1091. Mil. 881. 1373. Pers. 345 6. 369. Poe. 677. 679. Rud. 872. 1201. Truc. 150. — Ter. Ad. 608. Quapropter te ipsum purgare ipsi coram placabilius est — Ter. Eu. 765. Phor. 960 61 — Lucil. 901. manus a muliere abstinere melius est. Haec habui de hac re quae dicerem.

III. Quaestiones psychologicae.

Quibus omnibus expositis nunc alia ratione priscae Latinitatis superlativi usum consideremus, quam docet Carolus Bally his verbis: „L'étude d'une langue n'est pas seulement l'observation des rapports existant entre des symboles linguistiques, mais aussi des relations qui unissent la parole à la pensée, c'est une étude en partie psychologique, en tant qu'elle est basée sur l'observation de ce qui se passe dans l'esprit d'un sujet parlant au moment où il exprime ce qu'il pense; une étude plus linguistique que psychologique cependant en ce qu' elle est tournée vers la face expressive de la pensée et non vers la face pensée des faits exprimés." [298]) Praeterea autem via persequenda mihi monstrabatur libris, quos Leo Spitzer et Joannes B. Hofmann scripserunt.[299]) Hac igitur ad superlativi intellectum penetrantes inquiramus, quibus occasionibus in vetere sermone super-

[297]) Etiam ,optumum est' cum subiunctivo aut cum supino raro legitur. (7ies, 6ies.)

[298]) Ch. Bally. Traité de stylistique française. Heidelberg. 1909. pag. 2.

[299]) L. Spitzer. Italienische Umgangssprache. Bonn Lpz. 1922. J. B. Hofmann. Lateinische Umgangssprache. Heidelberg. 1926.

lativus gradus pronuntiari solitus sit. Atque satis conscii nobis sumus solum superlativi in sententiis cum animi ardore atque impetu enuntiatis usum nos spectare, sententias autem, quae non concitate, immo moderate atque paululum submisse pronuntiantur, omittere. Nam, cum in his superlativus non nisi consilio et ratione ad vere summum atque maximum gradum significandum adhibeatur, in illis variis de causis loquentibus occurrit. Quae consuetudo maxime cottidiani sermonis propria est et praecipue apud Plautum et ceteros scaenicos poetas invenitur, quibus hic sermo usitatus est. Quodsi quaerere et digerere audemus, quibus occasionibus et animi motibus superlativus gradus in vetere sermone efficiatur, angustioribus finibus huius quaestionis modum circumscribendum esse statuimus, cum cottidianus sermo multo uberior sit, quam ut ex omni parte eum comprehendere liceat.

Atque augendi minuendique causa superlationem veri atque traiectionem superlativi ope fieri persaepe in sententiis, quarum quaedam grandiloquentia propria est, invenimus. Et quidem cum homo gloriosus ipse se effert, ad ostentationis vim augendam superlativum gradum usurpat.

Pl. Bacch. 981. optumus sum orator — Pl. Pseud. 1172. Servus: nam ego eram domi imperator summus in patria mea — Ter. Eun. 397. vel rex semper maxumas mihi agebat, quidquid feceram — Pl. Amph. 137. 186/89. 244. 464. 745. Asin. 269. 282. Curc. 573. Mil. 75. 331. 666/67. Most. 154/55. Pers. 475. 567. Pseud. 805. 848. Rud. 370. Trin. 1087. Truc. 79. Ter. Eu. 926. 1092. Phor. 35. Ad. 377. 493. Cato or. 1, 26.

Cum sermo in familiam, genus, divitias, dotem similesque res incidit, adiectiva iis nominibus attributa superlative dicuntur.

Pl. Cist. 601. filiam suam despondit in divitias maxumas — Pl. Pers. 651. (eam) summo genere esse arbitror — Ter. Andr. 101. . . . . . . unicam gnatam suam cum dote summa filio uxorem ut daret — Pl. Aul. 158. 384. Capt. 31. 170. 277. 279. 305. 318/19. Cist. 25. 130. 305. Epid. 328. Men. 67. Merc. 111. Mil. 680. 703. 705. Most. 1142. Pers. 512. Poen.

60. 1240. Rud. 1197. Trin. 326. 1135. Ter. Eu. 366. Ad. 116. 231. Pacuv. 106. Lucil. 630. Enn. A. 30. 161. 178. Enn. A. 383. 412. Volcac. Sedig. c. frg. 3. Quadrig. hist. 15. 109 b.

Omnino cum grandia atque inflata verba fiunt, superlativus fere in usu est.

Pl. Stich. 72. adversari sine dedecore et scelere summo haud possumus — Ter. Phor. 760. quod nos ambo opere maxumo dabamus operam ut fieret, sine nostra cura, maxuma sua cura solus fecit — Pl. Amph. 210. 278. 745. 1063. 1095 1109. Asin. 681. Bacch. 907. Cas. 80. Curc. 509. Epid. 623. Men. 257. 260. 283. 590. Merc. 45. 442. 469. 694. Mil. 279. 713. Most. 251. Pers. 512. Poen. 749. 842. Pseud. 1025. 1293. Rud. 56. 617. 791. 1034. Stich. 164. 211. Tri. 529. 534. Truc. 65. 590/92. Vid. 42. 102. Ter. Andr. 293. Eu. 127. 665. 734. 1070. 1091. Heaut. 40. 383. 393. Phor. 1049. Ad. 352. 875. Sext. Turpil. com. 45. 169. 178. Afran. com. 313. Pacuv. trag. 230. Acc. trag. 216. 367. praetext. 26. carm. frg. 15. inc. trag. 148. 186. 224. Enn. A. 460. inc. 7. Porc. Lic. c. frg. 3. Cato or. 36, 1. orig. 95 b. Coel. Antip. hist. 46. Quadrig. hist. 27. 85. Lucil. 151. 182. 476. 483. 595. 617. 713. 739. 947. 973. 1314.

Hic praesertim afferendum est grande dicendi genus, quod praecipue poetis tragicis et oratoribus proprium est atque gradationi et superlativo maxime favet.

Enn. trag. 372. qui templa caeli summa sonitu concutit. (Ter. Eu. 590.) Enn. trag. 63. annos multos longinque ab domo bellum gerentes summum summa industria — Enn. trag. 10. 41. 45. 46. 59. 89. 139. 235. 309. 351. Acc. trag. 37. 206. 536. Var. Ruf. trag. 1. incert. trag. 48. 64/65. Acc. praetext. 14. 36. 37. Liv. Andr. carm. frg. 10. Naev. carm. frgm. 43. Enn. An. 60. 237. 277. 374. 391. 550. Enn. V. 24. Cn. Matius 4. Egnatius 1. Carm. Marciana 2. Lucil. 4. 31. Cato or. 4. 9,2. 10,4. 12,1. Cato orig. 63. 83. Quadrig. hist. 12. Sisenna hist. 132. P. Cornel. Scipio ap. Gell. 4. 18 — L. Aemil. Paul. ap. Valer. Max. 5. 10. 2. Q. Caecil. Metell. ap. Plin. 7. 43 — T. Annius Luscus. ap. Cic. Brut. 20. Scipio Afr. min. ap. Gell. 2. 20. 6. C. Gracchus ap. Gell. 15. 12.

Omnibus in exclamationibus, quas homo summa desperatione affectus facit, aut quibus alicuius fortunam commiseratur, superlativo utitur, ut orationis vim, quoad fieri potest, augeat.

Pl. Pers. 778. solus ego omnibus antideo facile, miserrumus hominum ut vivam — Poe. 988. Pro di immortalis, plurumi ad illum modum periere pueri liberi Carthagine — Stich. 401. nam ni illos homines expello, ego occidi planissume — Amph. 590. 606. Aul. 66. 335. 643. 722. 801. Bacch. 1020. 1067. 1098. 1123. Capt. 531. 649. 946. Cas. 548. 650. 694. 937. Ep. 502. 510. 715. Men. 698. 1002. Merc. 165. 284. 596. 795. Mil. 547. 670. Most. 212. 348. 352. 995. Poen. 452. 842. Pseud. 74. 1024. Rud. 238. Stich. 209. 211. Trin. 598. 1087. Truc. 548. Ter. Andr. 322. 541. Eu. 846. 954. 959. 1044. Heaut. 259. Phor. 153. Ad. 868. Hec. 570. 595. 598. Enn. trag. 91. 308. praetext. 1. Acc. trag. 316.

Iam vero in vetere sermone multa est ironia atque eius similitudines, quae sunt iocus, irrisio imprimisque „ironia illa servilis", quae in servorum potissimum ore esse solent, quibus illi animi habitus tristem servitutis sortem aliqua ex parte tolerabilem faciunt. Eiusmodi autem sententiarum atque facetiarum acerbarum mucro persaepe superlativi ope aut datur aut maxime acuitur.

Pl. Merc. 688. illam esse amicam tui bellissumi viri — Merc. 812. tuus pater bellissumus amicam abduxit intro in aedis — Mil. 99. erat erus Athenis mihi adulescens optumus — Amph. 199. Asin. 296. 314. Aul. 135 sq. Bacch. 309. 1112. Capt. 68. 391. 665. Cas. 581. Cist. 373. Men. 106. Merc. 206. 811. Mil. 57. 1210. 1312. Most. 21. 84. 282. Most. 713. 1052. 1135. 1142. Pers. 418. 476. 633. Poen. 206. 480. 516. 666. 673. 795. 1149. Pseud. 167. 1293. 1303. Rud. 476. Stich. 116. 157 a. 184. 199. 246. Trin. 723. 1070. frgm. Boeotia 5. Ter. Andr. 454. Eu. 75. Heaut. 368. Phor. 290. 317. 336. Phor. 346. 686. 869. 870. 884. Hec. 759. Enn. com. 4. Lucil. 733. 747.

Alios superlativos similiter non nisi ridiculam atque comicam vim spectantes formant et dicunt.

Pl. Pers. 830. Tace stulte: hic eius geminust frater. # hicinest? # ac geminissumus! — Trin. 986. Eho quaeso, an tu is es? # is enim vero sum. # ain tu tandem? is ipsusne es? # aio. # ipsus es? # ipsus, inquam Charmides sum. # ergo ipsusne es? # ipsissimus! — Amph. 278. 907. Aul. 466. Capt. 901. (cf. Merc. 986.) Cist. 512. 611. Curc. 15. 20. 79. 122. 506. Epid. 623. Men. 698. Most. 656. Poen. 506. 1127. 1197. Stich. 382. 389. Trin. 659. Ter. Eu. 75. 253. Ad. 552. Aquil com. 4. Afran. 52. 432. inc. pall. 64. Decim. Laber. 4. Lucil. 597.

Similiter in maledictis et conviciis, quae sermo popularis in maius fere extollere studet, superlativi gradus semper fere ponitur.

Primum res attributae personis, quae irritato animo compellantur, superlative dicuntur.

Pl. Aul. 825. Scelerum cumulatissume! — Most. 593. Quid ais tu, omnium hominum taeterrume! — Stich. 245. Pessuma, eho an audivisti? — Amph. 552. 561. Asin. 134. 214. 521. Aul. 633. 745. Bacch. 444. Capt. 661. Cas. 496. Cas. 594. 645. 757. 793. Curc. 295. Epid. 494. Men. 488/89. 517. 819. 924. 1061. Merc. 211. 305. Mil. 364. Most. 897. Pers. 221/22. Poen. 411. Pseud. 270. 351. 1310. Rud. 706. 722. 751. 1375. Truc. 120. 295. 311. Ter. Eu. 152. 239. 489. 948. 1017. Ad. 218. Naev. com. 118. Sext. Turpil. com. 25.

Tum in omnibus exsecrationibus et imprecationibus hoc, quod ad rem maximi momenti est, superlativi ope abunde augetur. Pl. Aul. 443. ego te faciam, miserrumus mortalis uti sis — Epid. 78. abi in malam rem maxumam! — Poe. 347. bellula hercle! i dierecte in maxumam malam crucem! — Capt. 469. 691. 822. Cas. 611. 793. Men. 328. 817. 1013. Mil. 279. Most. 192. 212. Pers. 352. Rud. 518. Lucil. 577.

Postremum eundem loquendi usum in omnibus similibus sententiis invenimus, quae ira et rabie ardent.

Pl. Aul. 64. . . . . quae in occipitio quoque habet oculos pessuma — Most. 626. danista qui sit, genus, quod improbissumum est — Rud. 662. nimis velim improbissumo homini malas edentaverint — Amph. 314. 782. Asin 91.

477. 857. 858. Aul. 66. Bacch. 5. 117. 371. 471. 556. Bacch. 1122. Capt. 469. 681. Cas. 186. 189. 534. 584. 992. Curc. 153. Men. 66. 598. Men. 853. Mil. 364. 558. 1374. Most. 874. 899. 983. 1135. Poen. 510. 569. 1282. 1405. Pseud. 778. 1285. 269. Rud. 40. 158. 610. 617. 651. 754. 775. 791. 843. Stich. 138. 183. Trin. 598. 925. 926. Truc. 88 a. 250. 295. Ter. Andr. 620. 629. 634. 881. Phor. 83. 262. 509. 772. Hec. 86. 112. Ad. 91. 282. 773. Afran. com. 356/7. Turpil. com. 134. Pacuv. trag. 194. Acc. trag. 638. Cato or. 9,1. a. Marc. fil. med. 1. Pl. frg. XIII. Leo.

Neque inviti Plautus et Terentius superlativi gradu utuntur, ut salutationis formulas ampliores faciant. Hic etiam comice novos superlativos formare non verentur.

Pl. Capt. 836. O mihi, quantum est hominum optumorum optume! — Most. 340. Salve amicissume mi omnium hominum! — Poen. 1197. o patrue, mi patruissume — Ter. Eu. 270. plurima salute Parmenonem summum summa impertit Gnatho — Pl. Amph. 677. Asin. 291. Aul. 135. Bacch. 1170. Capt. 67/68. 333. Cas. 1. Curc. 122. 149. 430. Men. 148. 149. Mil. 1382. Most. 717. 719. Pers. 418. 791. Poe. 1127. Pseud. 323. Stich. 660. Trin. 435. 1072. Truc. 121. Ter. Andr. 817. Eu. 531. Heaut. 408. Phor. 504. 853. Hec. 457. Ad. 460. 891. 911. 983.

Eadem ratione, si est in Plauti et Terentii fabulis aliqua exclamatio inopinati gaudii et laetitiae effusae, plerumque ad dicendi vim augendam superlativum habet.

Pl. Merc. 329. sed optume gnatum meum video eccum — Ter. Andr. 336. Davum optume video, quoius consilio fretus sum — Hec. 246. atque ecce Phidippum optume video — Pl. Amph. 335. 464. 957. 1000. Asin. 269. 282. 737. Bacch. 667. 724. Capt. 775. Cas. 308. Epid. 203. Men. 567. Merc. 329. 912. Mil. 1135. Most. 686. 1127. Pers. 301. Pers. 543. 738. Poen. 1330. Pseud. 301. 1258. 1262. Rud. 705. 905. 1209. Trin. 589. Trin. 1069. Truc. 557. Ter. Andr. 574. 686. 962. 970. Eu. 905. Heaut 677. 722. 757. 842. 1046. Phor. 367. Ad. 590.

Res Iovi atque ceteris dis attributae superlative fere dicuntur. Atque eundem usum in precationum verbis sollemnibus invenimus.

Pl. Amph. 780. summe Iuppiter! — Enn. trag. 237. Iuppiter tuque adeo summe Sol! — Acc. trag. 240. Dionyse optume pater! — Pl. Capt. 768 sq. Iuppiter supreme, serva's me measque auges opes, maxumas opimitates opiparasque offers mihi, ... sine sacris sum aptus hereditatem effertissumam — Amph. 111. 831. 933. 1121. 1127. 1146. Asin. 415. Capt. 426. 768. 863. 922. 976. Cist. 513. 516. Men. 811. 1114. Most. 348. Pers. 252. Poen. 1122. 1177. Pseud. 265. Rud. 783. 909. Trin. 823. Ter. Ad. 196. Enn. trag. 176. inc. trag. 39. Pacuv. praet. 1. Lucil. 20. Enn. A. 192. 456. 491. V. 40. Naev. c. frg. 12. 14. 15. Ardeat. templi inscr. [Morel pag. 32]. P. Cornel. Scip. ap. Gell. 4, 18. Luc. Aemil. Paul. ap. Valer. Max. 5, 10, 2. cf. Pl. Aul. 776. Poen. 1163. Magnus Iuppiter: haec locutio a communi usu, cui Iuppiter optimus maxumus audiebat, differens singulare aliquid habet.

Pariter proverbia, opiniones vulgatae, praecepta ad vitae usum utilissima, ut quantum valeant, quam evidentissime demonstretur, superlative dicuntur.

Pl. Amph. 648. virtus praemium optumum'st — Rud. 1246. semper cavere, hoc sapientis aequissumum'st — Truc. 190. hoc nobis vitium maxumum'st, quom amamus, tum perimus — Amph. 648. Aul. 139. Capt. 165. 222. 232. 235. 371/72. 463. Cist. 69. Curc. 53 Men. 573. 759. Mil. 101. 602. 1150/51. Most. 665. Pseud. 269. Rud. 402. 1321. Stich. 119. Trin. 63. 284. 486. 493. Truc. 171. 173. 190. Ter. Andr. 65. 635. Heaut. 437. 796. Phor. 241. Hec. 307/09. Ad. 216. 501/3. 533/4. Trabea com. 6. Stat. Caecil. 28. 79. Sext Turpil. 56. 142. Afran. com. 319. inc. pall. 78. 80. Enn. trag. 10. 132. Lucil. 564. 609. Enn. An. 312. Cn. Marc. Vatis praecept. 1. Vers. popul. 5. Stilo 71. (Fun.) Sempron. Asell. hist. 5. Cato inc. 5.

Hoc loco denique commemoranda sunt multa praecepta Catonis in libro de agricultura, quae superlativis abundant. agr. 1,5. 5,5. 5,6, 6,1. 7,1. 7,4. 8,2. 9,1. 19,1. 26,1. et multa alia.

Ad dialogi responsorum vim augendam atque affirmandam superlativus persaepe adhibetur. Ac primum brevia responsa superlative dicuntur.

maxume.

Pl. Pseud. 495. numquid peccatum est, Simo? # immo maxume! — Asin. 904. Curc. 41. 315. 427. Men. 430. Most. 392. 1009. 1098. 1144. Pers. 599. Pseud. 661. Rud. 1410. Stich. 539. Vid. 19. Ter. Andr. 818. Eu. 189. 334. Heaut. 339. Phor. 385. Hec. 228. 708. Ad. 609.

optume — optumum est.

Pl. Amph. 965. habeo expurigationem; facta pax est. # optume est — Amph. 802. Asin. 449. 786. Aul. 262. Bacch. 502. 505. 783. Capt. 10. 706. Cas. 738. Cas. 933. Merc. 224. 977. 1009. Mil. 245. Most. 419. 449. Poe. 666. Pseud. 361. Rud. 708. Rud. 1054. 1057. Stich. 537. 667. Trin. 1188. Ter. Eu. 101. Hec. 871. Ad. 402. 884.

Voces affirmativae, quae minus saepe inveniuntur.

Pl. Pseud. 363. acerrume — Poen. 1149. doctissume — Mil. 941. lepidissume et compsissume — Stich. 529. longissume — Capt. 74. Pseud. 365. 1169. Ter. Phor. 771. planissume — Ad. 419. probissume — Pl. Pseud. 746. saepissume — Ter. Phor. 772. verissume.

minime.

Pl. Trin. 752. minime, minime hercle vero! — Bacch. 87. 1187. Curc. 206. Men. 534. 1035. 1122. Merc. 418. Mil. 1242. Most 272. 693. 1097. Poe. 690. 1336. Stich. 83. Truc. 873. Ter. Eu. 212. 625. Heaut. 89. 245. 629. 742. 785. Phor. 526. 1033. 1036. Hec. 85. 267. 613. 814. Ad. 193. 342. 597.

Tum in responsionibus vocabulum, quod maxime in sententia valet, superlative dicitur.

Pl. Capt. 333. optumum atque aequissumum oras optumusque hominum es homo! — Cas. 375. Epid. 725. Men. 1147. Pseud. 389. Stich. 728. — Trin. 413. Em istaec ratio maxuma'st. Amph. 314. Aul. 262. Capt. 279. 354. 640. Most. 738. 911. Mil. 1001. Pseud. 361. 1321. Trin. 819. Ter. Andr. 593. 950. Ad. 974.

Neque invita postremum dialogi altera persona ex alterius verbis aliquod vocabulum depromit atque in responsione superlative dictum resumit.

Pl. Capt. 709. malene id factum arbitrare? # pessume! — Men. 1003. ecquis suppetias mihi audet ferre? # ego ere, audacissume! — Men. 338. miror ... # minime hercle mirum! — Most. 673. non in loco emit perbono? # immo in optumo! — Pers. 830. hic eius geminust frater. # hicinest? # ac geminissumus — Poe. 663. nam hic latro in Sparta fuit, ut quidem ipse nobis dixit apud regem Attalum. # nimis lepide de latrone, de Sparta optume! — Pseud. 1161. an nescis? # iuxta cum ignarissumis — Trin. 988. ipsusne es? # ipsissumus — Ter. Andr. 466. bonum ingenium narras adulescentis. # optumum — cf. ital. Sei pronto? # prontissimo! L'hai veduto mai? # maissimo.[300])

Illae autem consuetudines omnes cottidiani sermonis propriae sunt. At restat, ut consuetudinem quandam plane Plauti propriam, quae neque in Graecorum auctorum neque in Terentii fabulis nobis occurrit, commemoremus, cuius primus Eduardus Fraenkel mentionem fecit.[301]) Agitur de initiis nonnullorum canticorum atque diverbiorum. „Hier wird mit Hilfe der Gegenüberstellung eines außerordentlichen und wunderbaren Geschehens oder einer erlauchten Sagengestalt die gegenwärtige Situation in der Komödie oder die Person des Sprechenden auf eine höhere Stufe gehoben, ihre Unvergleichlichkeit gepriesen." [302]) Hoc, quantum ad superlativi usum cognoscendum pertineat, inspiciamus.

Bacch. frg. 15. Ulixem audivi fuisse aerumnosissumum, qui annis viginti errans a pratria afuit; verum hic adulescens multo Ulixem anteit, qui ilico errat intro muros civicos — Merc. 469. Pentheum diripuisse aiunt Bacchas; nugas maxumas fuisse credo, praeut quo pacto ego divorsus distrahor — Bacch. 925. Most. 775. Pers. 777. idem docent.

---

[300]) Leo Spitzer. l. s. pag. 183. [301]) Ed. Fraenkel. l. s. pag. 9/22.
[302]) Ed. Fraenkel. l. s. pag. 10.

IV. Index vocum notatu maxime dignarum.

Verba Latina.

Verba Graeca.

Verba Romanensia.

Argumentum.

Bibliographia.

Priscae Latinitatis auctores ac testimonia.

T. Macci Plauti Comoediae rec. Fr. Ritschl, G. Goetz, Fr. Schoell. Lpz. 1881/94².
Plauti Comoediae rec. et em. Fr. Leo. Berlin 1895/6.
T. Macci Plauti Comoediae rec. W. M. Lindsay. Oxford 1903.
P. Terenti Afri Comoediae rec. R. Kauer, W. M. Lindsay. Oxford 1926.
Scaenicae Romanorum poesis fragmenta rec. O. Ribbeck. Lpz. 1897/98³.
vol. I. Tragicorum fragmenta. vol. II. Comicorum fragmenta.
C. Lucilii Carminum Reliquiae rec. Fr. Marx. Lpz. 1914/15.
Ennianae poesis reliquiae ed. J. Vahlen. Lpz. 1903².
M. Catonis praeter librum de re rustica quae exstant ed. H. Jordan. Lpz. 1860.
M. Porci Catonis de Agri Cultura Liber post H. Keil iterum ed. G. Goetz. Lpz. 1922.
Fragmenta poetarum Latinorum epicorum et lyricorum praeter Ennium et Lucilium post Aem. Baehrens iter. ed. W. Morel. Lpz. 1927.
Historicorum Romanorum Reliquiae vol. I. ed. H. Peter. Lpz. 1914².
Oratorum Romanorum fragmenta coll. H. Meyer. Zürich 1832.
Grammaticae Romanae fragmenta rec. H. Funaioli. I. vol. Lpz. 1907.
Iurisprudentiae Antehadrianae quae supersunt vol. I. F. P. Bremer, Lpz. 1896
Corpus inscriptionum Latinarum (C. I. L.) vol. I.:
Inscriptiones Latinae antiquissimae. pars prior. ed. Th. Mommsen. Berl. 1893.
— pars posterior. fasc. I. Th. Mommsen-E. Lommatzsch. Berlin 1918².
Altlateinische Inschriften. Ausgew. v. E. Diehl. Bonn 1909.

In Plauti fabularum et fragmentorum versibus indicandis numeros adscribimus, quibus Leo et Lindsay usi sunt.

Disputationes, quibus utimur, ex adnotationibus cognoscuntur.

Vita.

Natus sum Werner Mueller in capite Nassovorum, cui nomen est Wiesbaden, d. 18. m. Mai. a. 1906. Civis sum Borussus, fidei addictus catholicae.

Primis litterarum elementis institutus per novem annos gymnasii Mattiaci discipulus fui. Testimonium maturitatis adeptus vere anni 1925 Friburgum Brisigavorum profectus sum, ut in universitate cum antiquitatis studio tum litteris scriptisque Francogallorum et Brittanorum me dederem. Anni 1926 aestate per tres menses Lutetiae Parisiorum studiis operam navavi. Insequente hieme Friburgum redii, sed vere anni 1927 Monasterium me contuli, ubi per quattuor semestria fui civis academicus.

Examen rigorosum superavi d. 25. m. Jun. a. 1929.

Docuerunt me imprimis viri doctissimi: Aly, Brie, Deubner (nunc Berolinensis), Honecker, Heiss, Immisch, Schuerr (nunc Graeciensis), Suetterlin Friburgenses; Keller, Mason, Muenscher, H. Schoene, Sonnenburg, Vorlaender †, Wiese † Monasterienses.

Seminarii philologorum ut essem sodalis, Muenscher, Schoene, Sonnenburg concesserunt; praeterea ad seminaria aditum mihi dederunt, romanica Heiss, Schuerr, Wiese †, anglica Brie, Mason.

Omnibus qui me docuerunt viris doctis maximas habeo gratias, singulares vero Petro Ernesto Sonnenburg, qui ad hanc materiam tractandam me invitaverit neque unquam in opusculo perficiendo opera et consilio me adiuvare destiterit.